



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia S. Avgvstini de humanæ naturæ stantis, lapsæ,
puræ statu & viribus eruitur & explicatur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

Liber Singularis De statu naturæ innocentis seu de gratia primi hominis &
Angelorum

urn:nbn:de:hbz:466:1-13673

71
CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE STATV NATVRÆ
INNOCENTIS,
S E V
DE GRATIA PRIMI HOMINIS,
ET ANGELORVM
LIBER SINGVLARIS

P R Æ F A T I O.



E natura hæresis Pelagianæ & Semi-Pelagianæ ; de utriusque dogmatibus, diversisque statibus quos habuerunt, & vultibus quos ad fallendum incautos induerunt, multa in opere præcedente diximus: ut colubri isti tortuosi omnium oculis exponerentur. Deinceps ea, quantâ potuerit à nobis fieri curâ, pertractanda sunt, quæ Catholica doctrina, quatenus à S. Augustino, Prospero, & Fulgentio explicata fuit, & in ipsorum, Romanæque Ecclesiæ monumentis continetur, ad vitandos illos errores destruendolque tradit. Parum quippe prodest scire dumtaxat quid hæretici sentiant, nisi simul scias, quid in eorum sensu probandum aut improbandum sit. Et quia diversos humanæ naturæ status percurramus, innocentis, lapsæ, reparatæ, & vires ejus in unoquoque ad bene operandum exploravimus, ut Pelagij sensum ac dogmata de singulis pernoscere possemus; iisdem quoque vestigijs in ijs refellendis insistendum puto, ut probabilior sit ipsâ ejusdem ordinis generalis luce disputatio. Generalis dico, quia pari ferè modo statum naturæ innocentis, hoc est, primi hominis & Angelorum, statum lapsæ, statum puræ quem vocant, statum reparatæ per Christum, & vires quibus in unoquoque pollet, lustraturi sumus, & gratias quibus indiget ex Augustino tradituri. Hanc tamen adhibebimus prolixitati moderationem, ut magis rerum ipsarum connexionem acque ordinem spectaturi simus, quàm dogmatum ac dictorum Pelagij. Rerum enim naturâ perceptâ, quidquid multipliciter veritati contradicitur, uno intuitu quàm falsum sit, intelligitur. Ita nec dicemus superflua, nec eadem ad singula Pelagij dogmata cum tædio legentium repetemus. Accedit, quod multa in Pelagianorum doctrinâ ita clarè repugnant Catholicæ doctrinæ, ut ab omnibus etjam Scholasticis uno ore damnen-

damnentur: quibus refutandis immorari supervacaneus hactempe-
state esset labor.

Itaque mihi constitutum est non cum larvis mortuis vel profligatis
luctari, ex quo forsan major eruditionis existimatio, quam fructus
nasceretur: sed illa potissimum Pelagij sensa & pronuntiata pondera-
re, quæ à Recentioribus non satis videntur esse penetrata: quorum
alia non intelliguntur, alia non putantur esse noxia, alia etjam sana
judicantur: Quapropter quicquid in Augustini doctrina contra Pe-
lagianos & Massilienses tradita à Recentioribus rectè intelligitur,
eosque consentientes habet, intactum prætermittam: ut diutiùs in
controversis, & præcipuè in enodando gratiæ actualis adjutorio hæ-
rere liceat.

CAPVT PRIMVM.

De creatione Adami in gratia & sanctitate.



Vigitur à gratia status A
innocentiæ tam homi-
num, quam Angelorum
ordiamur, multa hic
silentio prætermittimus,
quæ Scholastici studiosis-
simè disputant. Pauca
solummodò capita tan-

gemus, quæ magis ad intelligendum auxilium
gratiæ, quo munitus fuit, spectare videbun-
tur. Vbi primò occurrit, utrum Adamus in
statu gratiæ creatus fuerit? Quæ quidem quæ-
stio à festinantibus ad actualis gratiæ adjuto-
rium, de quo tota cum Pelagianis controver-
sa fuit, præteriri quoque potuisset; nisi non-
nulli Scholastici tum recentiores tum vetustio-
res, rem istam potius ex ratione, quam tradi-
tione metientes, in dubium revocassent id de
quo antea Ecclesia non dubitavit. Nonnulli
enim aperte asseruerunt, primùm hominè sine
gratia sanctificante conditum fuisse, quam post-
ea tamen ante lapsum accepit: an, quamvis
veritatem ipsam fateantur, non tamen omnino
certam putant: sed sine fidei periculo, imò sine
temeritate posse contrarium asseri.

Sed principijs D. Augustini inhærendo, cu-
jus doctrinam in hoc opere proponendam &
explicandam suscepimus, & cui præcipuè de ijs,
quæ gratiam primi & secundi Adam spectant,
credi debet, utpote à quo penè omnia, quæ de
rebus eò spectantibus in Concilijs & Eccle-
siastica doctrina certa sunt, promanarunt, exi-
stimamus non posse in controversiam rem istà
revocari; sed tanquam in Ecclesia definitam
& fide certam debere supponi. Ille igitur ubi-
que constanter sine ulla fluctuatione rem istam
multis modis tradit.

Nam primò docet, naturam humanam sine
vicio, sine culpa, salvam & incolumem esse à
Deo conditam. *Creatus est inquit primus homo in
natura sine culpa, in natura sine vicio.* Et sermone

*Aug. serm.
11. de verb.
sed p. 6. 2.*

decimo tertio: *Dominus Deus creato homini sine
vicio temperantiam præcipere dignatus est.* Et in li-
bro de natura & gratia: *Natura quippe hominis Lib. de nat.
primus inculpata, & sine ullo vicio creata est.* Et in *& grat. c. 2.
eodem libro: Si iste, qui hunc librum scripsit, de
illa hominis natura loqueretur, qua primo inculpata
& salva condita est.* Et aliquanto antè: *Qui nescit
(hominem) sanum & inculpabilem factum? Quam
doctrinâ Catholica fidei esse, non est dubium.*

Iam verò culpa & vitium, quod ab illo pri-
mè conditionis statu prolabendo contraxit, &
propter quod jam nullo modo sanus & salvus
est, in eo maximè situm est, quod gratiam illà
sanctificantem amisit. Hoc est enim præcipuum
vitiū, & culpa ejus. Perro salvum, sanum, sine
vicio & culpa esse conditum juxta doctrinam
sancti Augustini nihil est aliud, quam Deo ita
mente & voluntate esse conjunctum, ut non
possit à Deo, à salute, à vita æterna separari.

Nam, ut ait contra Pelagianos, quod alibi
sæpè repetit: *A salute & vita æterna hominem nisi
peccata non separant.* quod usque adeò verum est
apud Augustinum, ut etjam infantes, si juxta
Pelagij dogma, sine vicio procreantur, hoc solum in
se habentes, quod Deus condidit, judicet illos non
tantum futuros in eo statu, in quo Adam fuit ante
prævaricationem, utpote cui tunc nullum malum
vitiūque inerat, atque id solum in illo erat, quod
Deus condiderat; sed etjam frustra baptizari, &
fieri Christianos. Nimirum quia jam sani sunt,
salvi sunt, sine culpa & peccato sunt, gratiam
Dei habent: quia nulla Augustino salus, nisi
per gratiam. De quibus in recensione dogma-
tum Pelagij latius dictum est, & infra uberius
dicturi sumus.

Secundò docet Augustinus, hominem sa-
pientem esse à Deo conditum: non enim sine
vicio conderetur, si cum stultitia conderetur,
ut ipse dicit, *sit stultitia magnum vitium.*
Itaq; generaliter dicit Augustinus: *Nemini du-
bium est, omnes homines aut stultos, aut sapientes esse.*

*Serm. 13. 2.
Lib. de nat.
& grat. c. 2.
Ibid. c. 15.
Cap. 43.*

*Lib. 1. de pecc.
merit. c. 24.*

*Lib. de pecc.
orig. c. 13.*

*Vide lib. 2.
de Hæres.
Pelag. c. 19.
usque ad 25.
Vide & Iasè*

*in libro de
pura natura,
Lib. 1. re-
tract. c. 14.
Lib. de nat.
credenti c. 6.
Cui 127*

D

MISSIVUS
SENTENTIA

Cui sententia, cum de Adamo supra disputans contrarium asseruisse videretur, statuendo mediam aliquam affectionem esse posse inter stultitiam atque sapientiam, ipsemet hoc explicat propter parvulos esse dictum, non propter eos, qui jam utuntur voluntatis arbitrio, qualis Adam fuit: atque ideo sine praedictio illius generalis sententiae, copendij potius causa, hoc est, ne quaestionem illam praeter propositum suum, & extra locum suum disputare cogeretur, quam veritatis definiende causa à se esse prolatam. Iam verò sapientiam ipse intelligit & exponit eam, quã quis in aere omnium virtutum constituitur, & à Dei charitate separari nullo pacto potest. Nam in eodem libro & loco de utilitate credendi, explicans quid sit illa sapientia, *Nunc autem, inquit, sapientes voco non cordatos & ingeniosos homines, sed eos quibus inest, quanta inesse hominum potest, ipsius hominis Dei que firmissima percepta cognitio, atque huic cognitioni vita moreque congruentes.* Vnde mox: *Cui hominum virtus nisi sapientis animo praesto est? Et aliquantò inferius: Cum enim sapiens sit Deo ita mente coniunctus, ut nihil interponatur quod separet: Deus enim esse veritas; nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat; negare non possumus, inter stultitiam hominis, & sincerissimam Dei veritatem mediũ quiddam interpositam esse hominis sapientiam? Et ne quis adhuc Augustinum existimet intelligere humanam quandam & Philosophicam sapientiam, in libris de libero arbitrio se aperuit: Cui non appareat, hunc esse (stultum) in quo mens firmam potestatem non habet. Et mox de sapientibus: hos sapientes voco, quos veritas vocari iubet, id est, qui regno mentis omni libidine subugatione pacati sunt: scilicet propter conjunctionem cum aeterna Dei veritate, quam facit amor. Vnde in eisdem libris alibi: sapientia non est ab illo qui illuminatur, sed ab illo qui illuminat, videlicet aeterno lumine sapientia Deo. Nam hoc exponens: his omnibus melius (est homo) cum aeterno lumine sapientia beatus est. Et continuo adhuc clarius exponens, qualem intelligat sapientiam, cum qua primum hominem esse conditum sentit (et si illo loco non asserat, sed disputet) superbiam docet avertere à sapientia; stultitiam verò & obcuritatem sequi ex aversione à lumine sapientiae: Dum ille, cui bonus est Deus, sibi ipse vult esse bonum suum, sicuti sibi est Deus. Et in libro sequenti definitivè sapientiam repetit, sapientiam nihil esse aliud, nisi veritatem, in qua cernitur & tenetur summum bonum; summo autem bono affecto & adepto, beatus sit quisque. Quae certissimum est, sine gratia habituali non posse perficere. Quod alibi declarans, Postremo est, inquit, septima ipsa sapientia pacificans totum hominem & suscipiens similitudinem Dei.*

Tertio, frequenter docet Augustinus Adamum à Deo conditum esse justum & bonum: Adam factus est homo, potuit esse aliud quam factus est; factus est enim iustus & potuit esse iniustus. Et alibi: *Ecco bonus factus est homo, & per liberum arbitrium factus est malus.* Et sermone decimo quarto: *A Deo bona est instituta natura. Nulla vero apud Augustinum est iustitia, nisi quam*

A Deus per gratiam tribuit, ita ut sexcenties repetat, iustitiam Dei, seu qua homini ex Deo est, veram esse iustitiam: Iustitiam verò hominis aliam nomine iustitiae esse superbiam. De quibus alibi erit dicendi locus.

Quarto, saepissime docet Augustinus, primum hominem conditum esse rectum à Deo: Adam, inquit, Deo suo, à quo erat conditus rectus, nullo profusus vitio depravatus asserat. Et in libris de Civitate Dei: *Qua (gratia) nusquam & nunquam essent, si natura nostra, sicut recta creata est, permaneret.* Quam doctrinam creberrimè alijs in locis repetit, & ex Scripturis hausit, quae difertis verbis dicunt: *Solummodo hoc invenio, quod fecerit Deus hominem rectum.* Rectitudo autem creaturae rationalis Augustino nihil est aliud, nec verò secundum ipsius principia aliud esse potest, nisi voluntas bona seu recta: nec illa aliud, nisi amor aeternae rectitudinis, hoc est amor Dei, sive charitas. Quod ipse tradit multis locis: *Fecit Deus, inquit, sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bona. Non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus est Dei: cum ea quippe ab illo factus est homo. Et infra: Cur non permitteres, ut ab illo primus homo, qui rectus, id est, bonae voluntatis creatus fuerat, tentaretur? Bonam autem voluntatem non esse aliud, quam charitatem Dei, saepissime expressis verbis docet. Nam paulò ante quam rectum Adamum, id est, bonae voluntatis conditum esse tradidisset, ita dixerat: Cuius propositum est amare Deum, & non secundum bonitatem, sed secundum Deum amare proximum, sicut etiam seipsum, procul dubio propter hunc amorem dicitur voluntatis bona, quae usitatus in Scripturis sacris charitas appellatur. Et contra Pelagianos: Quasi verò aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo. Ex quo manifestum est, Augustinum tenere tanquam Scripturae attestazione certissimum, quod homo primus in gratia, hoc est, charitate Dei conditus fuerit. Et hinc est quod alibi dicit: Hoc agit spiritus gratiae, ut imaginem Dei, in qua natura huius facti sumus, instauret in nobis. Vitium quippe contra naturam est, quod utique sonat gratia. Et mox: Quae gratia in interiore homine renovato iustitia scribitur, quam culpa deleverat. Et hanc inscriptionem eius quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est, vocat iustificationem.*

Ex hoc potè principio, quòd Adam rectus, seu bonae voluntatis, creatus fuit, & abesset omnis miseria, quae male voluntatis est poena, consequenter sequitur, primum hominem beatum esse conditum. Quod ipsum Augustinus velut conlectaneum isti doctrinae tradit. Nam cum ipse bonam voluntatem alibi definiisset esse voluntatem, qua appetimus rectè honestèque vivere, & ad summam sapientiam pervenire, mox infert, cum qui tali voluntate fruatur, atque gaudet, eamque magni facit, omnes possidere virtutes; planeque beatum esse hominem dilectorem bonae voluntatis suae. Nam, inquit, hoc gaudium, quod huius boni adeptione gignitur, cum tranquille, & quietè, & constanter erigit animum, beata vita dicitur: nisi tu putes aliud esse beatè vivere, nisi

Zob. 3. de lib. arbit. c. 24. Lib. 1. Retra c. 14.

Lib. de util. cred. c. 12.

Cap. 15.

Lib. 1. de lib. arbit. c. 9.

Lib. 3. c. 24.

Lib. 2. de lib. arbit. c. 9.

Lib. 1. de ser. Dom. in mō. c. 3.

Serm. cont. uictum Maximi in ap. pond. Serm. 11 de verb. Apost. c. 2. c. 14.

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

Lib. 1. de

77
 re, nisi veris bonis certisque gaudere. Et hinc est
 quod toties Augustinus inculcat, primum ho-
 minem in beata vita fuisse constitutum; nempe
 ipsa conditione, & creatione sua. Hanc porro
 doctrinam suam de bona voluntate & five cha-
 ritate, unde cuncta precedentia dependent,
 ita constanter tenuit Augustinus, ut non ve-
 reatur eam certissimam fidei dogma nominare;
 utpote quod ex Scripturis, & Ecclesie senten-
 tiis manifestissime hauriatur: *Quamquam*, inquit,
credamus hominem tam perfectum, id est, in sublimi-
tate sapientie, ut precesserat, conditum a Deo, &
in beata vita constitutum, ut ad arumnas mortalis vi-
te ipse inde propria voluntate delapsus sit; tamen hoc
cum prima sua fide tenemus, intoligenti a nondum asse-
cutus sum. Et hoc quidem tanta asseverantia
 asseruit jam statim initio conversionis sue, ut-
 pote ex Ecclesie doctrina haustum, quoa &
 senex retrahendo librum illum suum inta-
 ctum reliquit, & in alijs libris perseverantissi-
 me docuit. Nam hinc & illud est in Epistola
 106. aduersus Pelagianos edita, cum quibus
 ibi vehementissime disputabat, utrum homo
 suis viribus posset sibi iustitiam, Deo non ad-
 iuvante, parere: *natura humana etiam si in illa in-*
tegritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo
seipsam, creatore suo non adiuvante, servaret. Vbi
 per integritatem, in qua natura humana condita
 est, maxime omnium intelligit, illam humanam
 mentis integritatem, hoc est, illam iustitiam,
 seu sanctitatem, qua casto amore adhaerebat
 Deo; quam ipse saepenumero testatur Adamo
 in sua conditione esse collatam, ut jam ex ipso
 multis modis audivimus. Nam ab ipsa inte-
 gritate, juxta Augustini doctrinam, tota reli-
 qua naturae integritas fluxit, & citra illam om-
 nis alia parvi momenti est, & juxta ordinatissi-
 mam iustissimamque Dei legem neque esse neque
 permanere potest. Vnde de hac ipsa mentis in-
 tegritate intelligitur id quod adiecit; *nullo mo-*
do seipsam creatore suo non adiuvante servaret; nem-
pe in illa ipsa mentis integritate, hoc est, iusti-
tia. Nam adiutorium Dei quod ad conserva-
tionem primi hominis sicut Augustinus tan-
quam necessarium postulat, semper intelligitur
adiutorium gratiae ad perseverandum in bona
voluntate, seu iustitia, prout fuit ex ipso mox
tradituri sumus. Vnde de eadem illa integri-
tate iustitiae, in qua vera salus hominis consti-
tuta fuit, intelligitur & id quod statim sequi-
tur: Cum igitur sine Dei gratia salutem non possit
custodire, quam accepit, hoc est, integritatem,
in qua condita est; quid enim aliud salus ho-
minis, quam ejus integritas? Quam salutem
non solum acceptam, sed in conditione accep-
ptam, disertis verbis ad Laurentium scribit:
In Enchyrid. Etiam primum hominem Deus in ea salute, in qua con-
ditus erat, custodire voluisset &c. De eadem in-
telligitur & id quod sequitur: Quo modo sine
Dei gratia potest reparare quam perdidit? Nam hoc
in Pelagianam haeresin, quam ibi impugnabat,
intortum est, quae sine adiutorio gratiae Dei
sentiebat hominem posse justificari, & ita salu-
tem reparare, quam perdidit. Nam salutem
partis inferioris tantum abest ut Pelagiani

A
 vellēt ab homine sine gratia reparari, ut potius
 nunquam homini primo collatam esse senti-
 rent; imò concupiscentiam & in caelum resu-
 scitatis corporibus ingerere velle viderentur,
 ut alibi latius demonstravimus. Et ista quidem
 Augustini doctrina tantoperè placuit Ecclesie,
 ut illam isdem omnino verbis ex Augustino
 sumptis in Concilio Arausicano Canone ex-
 presso sanxerit, & velut Catholicae fidei do-
 gma muniverit: ut multum mirandum sit, quo
 pacto Scholastici rem istam in dubium revoca-
 verint. Sic enim loquitur Concilium Arausica-
 num: *Natura humana etiam si in illa integritate,*
in qua est condita; permaneret, nullo modo seipsam,
creatore suo non adiuvante, servaret. Vnde cum sine
gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit,
quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdi-
dit? Qui Canon contra Pelagianos, integri-
tatem salutemque iustitiae conservari sine
gratia Dei, imò reparari posse statuentes,
concitus est. Vnde conformiter isti doctrinae
Synodus Tridentina, Scripturarum, & sancto-
rum Patrum, ac probatissimorum Conciliorum
testimonia, & ipsius Ecclesiae iudicium & con-
sensum secuta, dicit: Si quis non confectus primum
hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisse
transgressus; sicut sanctitatem & iustitiam, in qua
constitutus fuerat, amisisse. Nam Concilia, &
Scripturae, quas Concilium Tridentinum se dicit
sequi, non aliter indicant constitutum in san-
ctitate, quā quando factus & creatus est. Illud
enim, quod asserunt Scholastici, de rectitudine
quadam naturali per virtutes morales, & hu-
jusmodi, in quibus Adamus cogitari posset cō-
ditus, non est Ecclesiae, sed quorundam Philosophiae
magis, quā Scripturis, & Ecclesiasticae do-
ctrinae inhaerentium sententia est; qualis homo
jam olim à Philosophis, & postea à Pelagianis
inter Christianos introductus est. Sed ad Ec-
clesiasticae doctrinae tale commentum remotis-
simum est, & in Augustini scriptis inauditum:
qui usque adeo in veri Dei lumine & sanctitate
primum hominem creatum esse sentit, ut illum
Apostoli locū tractans: Renovamini Spiritu men-
ti vestra, & induite novum hominem, qui renovatur
in agnitionem Dei, secundum imaginem eius, qui crea-
vit eum, confidenter dicat, Apostolum satis offen-
dere, ubi sit homo creatus ad imaginem Dei, quia non ref. ad litt.
e. rporis lineamentis, sed quadam forma intelligibili
mentis illuminat. Ita videlicet, ut hoc ipsum
esset Adamo fieri, quod à Deo illuminari: Fe-
en, inquit, Deus hominem ad imaginem Dei, quia &
ipsa natura scilicet intellectualis est, sicut & illa lux
(scilicet Angelica) & propterea, hoc est ei fieri,
quod est agnoscere verbum Dei. Et paulo post: Quia
verò & ipsa creatura rationalis est, & ipsa eadem
cognitione perfecta est. Sicut enim post lapsum peccati
homo in agnitione Dei renovatur, secundum imaginem
eius, qui creavit eum: ita in ipsa agnitione creatus est,
antequam delicto veterasceret, undervsus in eadem
agnitione renovaretur. Vbi agnitionem suo more
vocat istam agnitionem Dei, quae fit per veram
coelestemque sapientiam, hoc est, per luminosissimam
charitatem: Et hoc est Augustino in
Dei agnitione renovari, per inscriptionem
scilicet

NON INVENI

Vides. 27. scilicet legis Dei in corde credentium, ut supra
28 lib. de ex libro de Spiritu & littera artigimus.

Spir. & litt. Unus tantum est difficilis locus, qui huic
 Ecclesie & Augustini doctrinae, quamvis con-

Genes. 2. stanter ab eo asserta, opponi posse videatur.
 Nam tractans illum Scripturae locum; *Insuper*

Lib. 2. de Ge- *nes. cont. Ma-* *nich. 8.* *vis in faciem eius spiraculum vite;* docet eo signi-
 ficari, quod status Dei animum operatus sit: &
 mox adjungit: *Nondum tamen spiritalem hominem*
debemus intelligere, qui factus est in animam viven-
tem, sed adhuc animale. Tunc enim spiritalis esse-
ctus est, cum in paradiso, hoc est, in beata vita consti-
tutus praeceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo
Dei consummaretur. Vbi significare videtur,
 hominem ante esse conditum; postea vero
 cum in paradiso collocatus fuit, gratia spiri-
 tus esse perfectum.

Sed qui bene loci circumstantias pondera-
 verit, facile videbit illis verbis: *Nondum;* & :
Tunc enim spiritalis effectus est &c. non significari
 ordinem rerum gestarum, quasi illa tempore
 se consecuta fuerint; sed ordinem narrationis,
 & quibus quidque verbis insinuatum fuerit:
 Hoc vult igitur Augustinus illis verbis, *Insuper*
&c. nondum significari quod homo spi-
 ritualis fuerit; sed hoc potius indicari nomine
 paradisi, quo, ut statim dicit, ipsa beatitudo

Ibid. c. 9. hominis figurate significata est. Nam sicut di-
 versis Dei operationibus se mutuo saltem natu-
 rae ordine consequentibus natura condita,

& gratia infusa fuit: ita nihil mirum, si separa-
 tim illa quoque narrentur, & diversis rebus fi-
 gurate significantur. Et haec de Adami sancti-
 ficatione dicta sint: quorum veritas longe lu-
 culentius & immobilius constabit ex ijs, quae
 juxta S. Augustinum inferius de statu pure
 naturae tribus libris dicturi sumus.

Tametsi vero non sit hic nobis de Angelis
 disputatio, de quibus nihil contra doctrinam
 Ecclesiasticam à Pelagianis motum fuit: quia
 tamen de bene agendi adjutorio, de quo infra,
 necessariò multa dicenda sunt, eademque est
 omnino in Angelis & homine innocente ratio;
 brevier hoc addendum est, idem juxta D. Au-
 gustini doctrinam de Angelorum, quod de
 hominis creatione esse sentiendum. Videlicet,
 etiam Angelos sive bonos sive malos, in san-
 ctitate & justitia, hoc est, in divinae charitatis
 gratia esse conditos. Vnde post nonnullam di-
 sputationem definitivam fert sententiam: *Et*
istam (bonam voluntatem) quis fecerat, nisi illi
qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto,
quo illi adherent creavit, simul in eis & condens natu-
ram, & largiens gratiam. Vnde sine bona voluntate,
hoc est, Dei amore nunquam sanctos Angelos fuisse
credendum est. Et statim docet, non ad solos
sanctos homines pertinere, verum etiam de
sanctis Angelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit
in eis per Spiritum sanctum, qui datus est eis.

CAPUT SECVNDVM.

Quis status inferioris partis respectu superioris.

CVm igitur iste esset status mentis ho-
 minis respectu Dei, ut Deo Creatori
 suo, ultimoque suo & omnium crea-
 turarum fini castissimo amore cohæ-
 reret, ex quo fiebat, ut divinae sapientiae om-
 niumque virtutum, quae in animo rationali
 sedem suam habent, particeps fieret, rectus
 ordo videbatur postulare, ut huic tam conna-
 turali hominis bono, propter cujus possessio-
 nem creatus, & in cujus conservatione salus
 ejus constituta est, nihil in ipso homine à Deo
 creante fieret, sive in animo, sive in corpore,
 quod eum ab illa sui creatoris & salutis, &
 veri totius sui boni possessione, & fruitione re-
 torqueret, ac divelleret. Hinc corpus pariter
 & animum suam quemque integritate vestivit,
 ut sine pacis illius supernae interpellatione,
 animus menti, corpus animo summam facilita-
 te, profundam tranquillitate servirent. Primum
 igitur de reliquo animi statu, postea de corpo-
 re pauca dicturi sumus.

Animum igitur primi hominis sine omni
 concupiscentiali motu creatum esse, certissima
 Augustini & verae Catholicae Ecclesiae do-
 ctrina est, adversus illum errorem Pelagianor-
 um, quo docebant, libidines illas, sive concu-
 piscencias, sive cupiditates, quibus in hac
 vita jugiter perturbamur ac tentamur, & ad

vitia quaelibet sectanda propellimur, humanae
 naturae concreatas esse: de quo multa in recen-
 sendis Pelagianorum erroribus diximus. Inter
 illas libidines turpissima quidem illa est, quae
 ad lasciviam carnis incitat, sive animum, sive
 simul & corpus; sed non est sola: in omnibus
 enim bonorum creatorum cupiditate, & pec-
 catorum generibus, locum habent. Nam quem-
 admodum ad concubitum, ad odoranda, ad gustan-
 da, ad audienda, ad videnda voluptuosa impetu
 quodam concupiscentiali & voluptuario provo-
 camur; ita & ad invidendum, superbiendum,
 blasphemandum: nec est ullum omnino boni
 creati genus, ad quod non similis concupiscenti-
 alis instinctus possit & soleat aliquando ex-
 ardescere, & ad consensum peccati impellendo,
 antecedere. Adversus istum igitur Pelagianor-
 um errorem asseverantissime semper August.
 docuit, naturam humanam in sua procreatio-
 nis exordio immunem & liberam ab hujusmo-
 di concupiscentiis productam esse, easque Deo
 vindicante, peccati primi merito emeruisse.

Hinc illud in libris de Civitate Dei: *Hoc itaque; lib. 14. b*
tam leve praeceptum ad observandum, tam breve ad Civit. 14. b
memoria retinendum, ubi praesertim nondum volun-
tati cupiditas resistebat, quod de pane transgressio-
nis postea subsequens est &c. Et in eodem libro
inferius: Haec igitur partes (sive atque libido)
in part. 2.

in paradiso ante peccatum vitiosa non erant. N^A
 enim contra rectam voluntatem ad aliquam moveban-
 tur; unde necesse est eas ratione tanquam frenis re-
 gentibus abstinere. Vnde quod nunc ita mouentur, &
 ab eis qui temperanter & iuste & pie viuunt, alias fa-
 cilius, alias difficilius, tamen cobibendo & refrenando
 modificantur, non est utique sanitas ex natura, sed
 languor ex culpa. Hinc illud in ultimo aduersus
 Iulianum opere: Hac dicebat B. Gregorius &c.
 volens exponere, vel potius quia nota sunt admonere, in
 quali quantoque certamine cum vitis interioribus pro-
 pter corpus quod aggrauat anima, consistit: sint sancti.
 Quod certamen utriusque fuisse in illo beata pacis loco,
 id est, in paradiso deliciarum, si nemo peccasset. Et
 aliquanto post: actio pia est in hac vita Deum co-
 lere & eius gratia contra vitia interna pugna-
 re, & eius ad illicita instigantibus, cogitantibusque non ce-
 dere &c. In paradiso autem, si nemo peccasset, non
 esset actio pietatis expugnare vitas; quoniam permissio
 felicitatis esset, vitia non habere. Hinc illud in li-
 bro de correptione & gratia: Ille vero (primus
 homo) nulla tali rixa a seipso aduersus seipsum
 tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua se-
 cundum pacem fruebatur. Et inferius: Tales vires habe-
 bat eius voluntas, quae sine illo fuerat inlicita pecca-
 to; & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat.
 Quam doctrinam tanquam Catholicam secenties
 in suis operibus aduersus Pelagianos edi-
 tis reperit, & aduersam velut Pelagianam fur-
 culum damnat. Hauserat suam ex Scripturis
 factis, quae manifeste vitia ista ex peccato pro-
 cessisse declarant. Nam cum dixisset primos ho-
 mines ante peccatum fuisse nudos, & non eru-
 buisse, postquam peccasset narrat oculos eor-
 um apertos: cumque cognouissent se esse nudos, con-
 suerunt sibi sicut, & fecerunt sibi perizonia, qui-
 bus pudenda velantur. Quia narratione signifi-
 catur, primos parentes nullos pudendos con-
 cupiscentiae motus in sua nuditate sentisse: post
 peccatum vero eosdem illos sentiendo erubuisse:
 quemadmodum communis Patrum, adeoque
 omnium Christianorum fidelium sensus est.
 Vnde Augustinus aduersus Iulianum, qui per
 peccatum nihil pudenda novitatis in partibus
 illis corporis ortum esse sentiebat: Ego vero non
 a pudore inanimi figurarum, sed a scriptore diuina

didici litterarum, quia illi primi homines nudi erant,
 & non confundebantur, in quibus absit ut tanta in-
 nocentia tam impudens esset: sed nondum inerat, quod
 puderet. Peccaverunt, at tenderunt, erubuerunt, ope-
 ruerunt; & adhuc clamas: Nihil illic indecens non-
 nunquam senserunt. Hanc plane impudentiam tuam
 nimis incredibilem, absit ut dicam, nullus te Apostolus
 aut Propheeta, sed nec pictor docuit aut Poeta. Et pau-
 lo post: Adam & mulier eius, qui nudi erant ante
 peccatum, & non confundebantur, mox ut peccave-
 runt, quas partes corporis amiserunt. perizoniam
 nomine satis expressum est. Videmus quod texorini, ni-
 mia insipientia est adhuc querere, nimia impudentia
 adhuc negare, quid senserint. Nam tu quoque cum ob-
 stinatissime contradicas, usque adeo iudicasti, nihil
 aliud humanis occurrere sensibus, nisi concupiscentiae
 motum erubescens illos homines in genitalibus tegere
 voluisse, ut perizoniam erigere ad latera conareris:
 Quo Scriptura loco frequenter Pelagianos li-
 bidentem in paradysum inducere molientes ex-
 pugnat. Eadem verò prorsus est & ceterarum
 cupiditatum ratio. Vnde & illas generatim non
 nisi ex peccato promanasse, ex alio Apostoli lo-
 co docet, ubi concupiscentiam sapienter peccatum,
 & peccati legem vocat. Nimirum ea de causa,
 inquit Augustinus, quod & peccato facta est,
 peccatum, si vicerit, facit. Vel ut alibi dicit: Eam
 (Apostolus) peccati nomine appellat, quia & de
 primo peccato originem ducit, & quosvis eius motibus
 ad illicita consenserit, peccat. Vbi sub concupiscentia,
 sicut & Apostolus Iacobus, omnem omni-
 no libidinem comprehendit, quae cum concupiscentia
 parit peccatum, seu, cui consentum adhibendo
 peccamus: quam idcirco iuxta mentem Apo-
 stoli, quem allegat, nihil aliud esse dicit, quam
 desiderium peccati. Vnde istam de concupiscentia
 origine doctrinam Augustini Synodus Tri-
 dentina faciens suam: Hanc, inquit, concupiscentiam,
 quam aliquando Apostolus peccatum appellat,
 sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nun-
 quam intellexisse peccatum appellari, quod vere
 propriè in venia peccatum sit: sed quia ex peccato
 est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrariū
 senserit, anathema sit. Si ex peccato est, ante pec-
 catum gigitur nusquam fuit.

CAPVT TERTIVM.

Vtrum fuerint in homine primo innati & intensi appetitus excel-
 lentiae & laudis, & superbiae tentationes, ut quidam volunt.

QVIA doctrina cum tam sancta, tam
 primae conditionis decens integri-
 tem, tam in Scripturis, Concilio, &
 Augustino fundata sit, ut ejus veri-
 tate Pelagiana haeresis debellata, & mole op-
 pressa sit, mitum profecto est, quod quidam
 recentiores minus perspicam habendo erroris
 Pelagiani virulentiam & haereticum, ab istius
 doctrinae norma discesserunt. Nam quidam
 eorum dicunt hominem Deo iuvante potuisse se
 continere ab omni peccato, cum nullas alias
 tentationes haberet, praeter eas, quae extrinsecus in-

ferrentur; & praeter innatum appetitum excellentiae
 & laudis, quo ad voluntatem & intellectum, quae om-
 nia in tanta tranquillitate passionum, tanquam pre-
 clari deus praeditus facile poterat superare. Vbi
 significat innatis superbiae motibus homi-
 nem potuisse tentari; illa est enim, quae ex-
 cellentiae & laudi inhilat; sed eos facile su-
 perare potuisse, nihil enim superatur, nisi
 quod repugnando resistit. Alius Molinè ve-
 stigia secutus audet & dicit: Amorem ex-
 cellentiae in natura integra & perfecta intensissi-
 mum fuisse, & hoc imponit Augustino, A. 46. c. 2.
 tanquam

85
 sed etiam ceterorum honorum, quibus natu-
 raliter sensus afficitur (ut satis aperte etiam
 Molina profitetur) atque id per illum natura-
 lem appetitum seu concupiscentiam Adami
 fuisse tentatum, ita ut post de ore oculos in-
 citando, & spem jucundi iuramento lapsus via
 ad delictum per concupiscentiam illam natu-
 ralem fuerit, vide quantam acrimoniam adversus
 eum, & adversus commentum istud Pelagia-
 num Augustinus invehat: *Quid est ergo quod
 loqueris, nesciens quid loquaris? Ergo & in para-
 diso ante maledictam venena serpentis, ante curu-
 piam sermone sacrelego voluntatem, illi eis ubi serido
 iam fuit? Et quod incolerabilis dicitur, ad malum
 provocabat, & mala non fuit? Et videbant illi ho-
 mines fructum ligni prohibiti, & concupiscebant: sed
 ut non manducarent, & concupiscentia spiritus carnis
 concupiscentia repugnabat. Et vivebant in loco ubi
 tanta beatitudinis non habentes in se opus pacem men-
 tis & corporis? Non usque adeo deum nescitis, ut ista
 crederetis: non usque adeo in peccatis vestris dicatis.
 Ecce huiusmodi affectus voluntatis non homi-
 nibus innocentibus aut quia peccati in venturum
 comedere vellet, credere, denuntiam Augu-
 stinus vocat; hoc ipsum videtur dicere, impu-
 dentiam. Quanto frenari insurgeret, si un-
 dividisset Iulianum intensissimos & innatos ap-
 petitus excellentie & laudis, gravissimamque
 superbiam tentationes a propria excellentia &
 pulchritudine pululantes, quae mentem &
 abstraheret & illiceret, quae possibilitatem
 non peccandi impedirent, essentque vincenda
 atque superanda; in illum locum humanae vel
 Angelicae felicitatis inducere! Non enim
 quia boni corporalis ille appetitus seu libido
 fuit, eam tantopere exhorret Augustinus; sed
 quia boni cuiuscumque creati appetitus iure
 quo non peccandi possibilitas quoquo modo
 resistendo impediatur, cuius tentationis
 gravitas esset qualicumque pugna superanda.
 Hinc est enim quod constantissime semper om-
 nem omnino appetitum cuiuscumque motum
 qui quovis modo resisteret recta voluntas, ad
 illo statu tollit: Nihil, inquit, illi concupiscenti-
 aliter resisteret. Permansio desideratus esset, ut
 non haberet; hoc est, non habere motus quales-
 cunque, sive excellentie, sive laudis, sive
 akerius boni, qui deberent voluntate adver-
 sus eos pugnantem frenari. Et alibi: Nec ab-
 erit qui nam, quod boni & voluntas adipsereitur,
 ab invicem quod tamen animamve hominis feliciter vi-
 vum offenderet. Hinc est quod passim tradit,
 summam illius felicitatis fuisse tranquillitatem
 & pacem: In natura hominis ante peccatum pacem
 debere esse, non bellum. Et alio in loco: In tota
 anima & toto corpore concordiam habeo pacis Deum:
 quia in me seminare hoc bellum? Et rursus: Ab-
 se ut illa pacem animi & corporis haberet aliquid, pro-
 pter quod adversus seipsum prima hominis natura pu-
 gnaret. Et in libro de Civitate Dei: Si in
 incarnate sentit, in anima tota tranquillitas. Hinc
 summam ibi futuram fuisse bene vivendi faci-
 litatem ubique assent: quod nullo modo verum
 esse potest, si intensissimus ibi fuisset ex-
 cellentie & laudis appetitus, vel tanta gravi-*

tas tentationum inde surgentium: Non fessit, De corrept.
 inquit, in tanta felicitate, in tanta non peccandi
 facilitate. Et rursus: Ut deus tanta bonitate &
 bene vivere de facilitati, perseverandi committeretur
 arbitrium. Et alio in loco: Concorde (erat in
 paradiso) mentis corporisque vigilia, & mandata
 sine labore custodia. Tantum abest, ut gravissi-
 mas ibi superbiae tentationes vel suspicari au-
 deret. Hinc nullam omnino fuisse tentationis
 cuiuscumque gravitatem, ex qua vel pugnantem
 necessitas oriretur, passim astruit: In paradiso
 si nemo peccasset, non esset alio pietatis expugnare
 vitia, hoc est, surgentes undecumque animi aut
 corporis motus. Et in libro de Civitate Dei:
 Hoc autem bellum nunquam ullum esset, si natura
 humana per liberam arbitriam in rectitudinem
 sic in peccato nullus esset, aut si quis, sic in eius habitatore
 nulla ex cupiditate vel timore bona voluntate offensio.
 Si nulla offensio multo profecto minus pugna
 cum innatis illis, vel intensissimis laudis aut su-
 perbiae appetitibus, qui surgere ac tetare homi-
 nem sine bonae voluntatis offensione non possunt.
 Hoc enim offendit bonam voluntatem,
 quod ei resistit, & inde pugna nascitur. Non
 in cupiditatibus frenandis continentia laboraret, si
 hi nos, contra quod contendere, decerneret, si nihil
 bona voluntati ex mala concupiscentia repugnaret.
 Itaque de uno notissimo corporalis voluptatis
 appetitu, quae etiam in uxore licita est, lo-
 quens: Quae pugna boni & mali nulla esset, si
 non peccasset. Sicut autem ante hominum in-
 firmam nullam erat, ita post infirmitatem nulla erit.
 Quibus in verbis etiam radix tangitur, cur in illo
 pacis loco nec bellum, nec ulla quidem pugna,
 esse potuerit; quia omnis ab eo exulabat
 infirmitas. Nam ut idem sanctus Doctor
 alicubi dicit: Et pugnare infirmitas est. Quanto
 enim quisque vincit facilius, tanto pugnat magis.
 In semetipso autem quis pugnet, si nihil est semet-
 ipso eidem repugnans? Et quid nobis repugnat ex
 nobis, nisi quod adhibet eritatur, ut sanetur in nobis?
 Ergo in nobis semetipso sola est infirmitas causa pugnandi.
 Haec autem infirmitas gravissima primi pec-
 cati poena fuit: quod antequam praecellisset,
 nulla prorsus infirmitas pugnantem; necessitas
 incumberebat: Unde idem sanctus: In hac bona
 hominis & bene a bono condita infirmitate quae natura
 tunc bellum est, quoniam salus non datur est. Langueor
 sanctorum, pax est. Langueorem autem infirmitate
 vitia, natura non habuit. Ideo autem languo-
 rem istum, ex appetitibus huiusmodi innatis,
 aut intensissimis excellentie aut laudis, aut
 undecumque nascentem ante pugnantem vin-
 cendique necessitatem natura ante peccatum
 nullam habuit, quia grave admodum creaturae
 rationalis malum sunt, quo sine peccati me-
 rito affigi non debuit. Quod Augustinus te-
 tigit, quando dixit: Adhuc non intelligis nostri
 naturam non esse (hoc est non esse naturalem, seu
 cum natura concreatam a Deo) sed vitium,
 contra quod virtute pugnantem? Quo significat,
 cum nullo vitio aut malo naturam nostram
 esse creatam; sed tantummodo peccati merito
 vitiatam. Hinc mox inferius: Rogo te, oculos

13.1. oper. imp. cont. lib. 1. c. 10.
 14. de Civit. c. 10.
 3. cont. Jul. c. 11.
 Lib. 1. c. 7.
 Ibid. c. 16.
 Li. 14. de Ci. vit. c. 16.
 Decrept. & grat. c. 12.
 Lib. 1. cont. Jul. oper. imp. c. 11.
 14. de Civit. c. 10.
 3. cont. Jul. c. 11.
 Lib. 1. c. 7.
 Ibid. c. 16.
 Li. 14. de Ci. vit. c. 16.

Lib. 1. cont. Jul. op. imp. c. 26.
 Lib. 21. c. 15
 Lib. 14. c. 6
 Lib. de conti. nent. c. 3.
 Lib. 4. cont. Jul. c. 5.
 Lib. 4. cont. Jul. c. 2.
 Lib. de conti. nent. c. 7.
 Lib. 5. cont. Jul. c. 7.

M. V. S. I. N. V. S.
 M. V. S. I. N. V. S.



aperi, & cerni, quæ aperta sine. Nulla pugna est sine malo. Quando enim pugnatur, aut bonum pugnat & malum, aut malum & malum: aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnum malum. Cujus doctrinæ immobiles bases in libris de pura natura ex professo latius tradituri sumus.

Ex hoc fonte oritur, quod idem ille divinissimus Doctor parentes nostros sine ulla omnino pugna prostratos esse fateatur, ac doceat. Quod quamvis Augustinus non disertis verbis traderet, per se ipsa res perspicua est: ubi enim nihil prorsus resistit bonæ voluntati, quia nihil inest quod resistere queat, sed quidquid voluntas voluerit, hoc ipsa illâ voluntate fiat, apertissimum est, nullam neque tentationis gravitatem, neque superandi difficultatem, neque pugnandi necessitatem, imò nec pugnam ipsam esse posse: utpote quæ sine aliquo resistente esse non potest. Nullus autem cujuscunque appetitus sive corporalis sive spiritualis motus, cum quo resistente pugnare potuisset, voluntatem unquam surgendo precedebat, vel quando voluntate jubente surrexerat, nutum ejus vel ad latum unguem nõ excedebat, sed in omnibus eam obediendo sequebatur. Ex quo fiabat, ut quidquid in contrarium non pauci recentiores dicant, ne quidem voluntas sollicitè vigilare cogere, ne cupiditatis alicujus motus obreperet. Cujus rei perspicuū argumentū est, quod eñm oculis corpus eorum nudum quotidie subiceretur, nullo inquieto stimulo vel ardore, sive in animo sive in corpore, concitati sint. Quæ namq; mentis vigilantia satis esse queat, ut animus in tali corpore constitutus quod hujusmodi motibus, non præeunte jubenteque voluntate, obnoxium esse potest, incurfantibus in oculos ipsos rebus illecebris nullo unquam tumultuoso hujusmodi stimulo perturbetur? Nam ad hoc præcipuè vigilans illa cura mentis incumbit, ut illa illecebræ, per quas lascivus, aut alius quilibet concupiscentialis motus corpori aut animo potest citra imperium voluntatis obrepere, à conspectu, ipsique cogitationibus longius arceantur. Quod quia nec in subtrahenda invicem corporis sui nuditate, nec in contemplanda pomi vetiti pulchritudine observatum fuit, perspicuè patet non opus fuisse, ut mens adversus obrepentes undecunque motus excubaret, quos sibi persistente sub Deo mentis obedientia, à qua tota firmitas partis inferioris, adeoque corporis immortalitas religata pendebat, nullo modo obrepere posse sentiebant. Hinc Augustinus de cupiditate cibi vetiti loquens, quam suspicabatur consideratione decoris pomi surrexisse Iulianus: Non itaque, inquit, ibi qualiscunque cupiditas qualiscunque reluctata est vo-

Lib. 1. cont.
Int. op. imp.
fol. 103.

luntati, sed ei potius depravata servivit. Ac per hoc quamvis itaq; utraque mala esset, tamen voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit: nec præcessit voluntatem, nec resistit voluntati. Et de cupiditate seu libidine quarumcunque voluptatum, quæ sensibus corporis percipiuntur, disflens, regulam figit, quæ in omnibus omnino appetitibus locum habet: Nulla ratione crediderim, in illo tanta felicitatis loco, aut caræem concupivisse adversus spiritum, & spiritum adversus carnem; atque in ista conflictatione sine interna pace vixisse aut spiritum desiderijs non repugnasse carnalibus; sed quid undecunque libido suggesserit, turpi servitio preegisse. Quis ergo erat in ista pacis regione concupiscendi seu appetendi modus? Remanet igitur, ut aut nulla ibi fuerit carnalis concupiscentia, sed ille fuerit vivendi modus, ut omnia necessaria congruis membrorum officijs, sine ullius motu libidinis, impleverit: aut (ne nimum videamur offendere homines, qui voluptatem corporis quomodoque discedunt) ita ibi creditur carnalium sensuum fuisse libidinem, ut OMNINO RATIONALI SUBDITA VOLUNTATI non alias adesset nisi cum per illam vel saluti esset corporis vel stirpi propagationi consulendum: & tanta adesset, ut nulla ex parte mentem de supernarum cogitationum delectatione diserneret. Quod alibi brevius dicit, ita fuisse, si ibi fuerint, libidinis aut cupiditatis motus, ut voluntas nutum nec precederent, nec excederent. Quod quamvis ipse de illa notissima foeditissimaque dixerit libidine, quæ & animum perturbat, & corpus, dum ille voluptati inhiat, istud æstuat; de omnibus tamen appetitibus cujusvis motibus eadem prorsus ratio est. Vnde alibi de ipsidem motibus in illo beatitudinis loco disputans: Absit, inquit, ut beatitudo illa possit aut in illo loco non habere quod vellet, aut in suo corpore vel animo sentire quod vellet.

Hæc si viri illi docti atque Catholici paulò attentius ponderassent, quæ duobus istis capitibus dicta nequaquam in paradisu innatos illos & intensissimi excellentiæ & laudis (hoc est vanitatis) appetitus, contra quos, Augustino teste, lactatur animus & ad orationis præsidium convolat, induxissent: nequaquam gravissimis superbæ tentationibus, quæ recta voluntas impediretur sive multum, sive parum, statum illius beatitudinis perturbassent. Sed quid? Humanæ potius paganæq; Philosophiæ filium, quæ de innocentia illius quiete & perturbationum nostrarū origine nihil unquam suspicata est, quàm castissimam tanti Doctoris doctrinam in isto labyrintho sequi maluerunt. Vnde nihil mirum, si quemadmodum olim Philosophi fuerunt Patriarchæ Hereticorum; ita nunc Philosophia intemperantiùs usurpata fiat mater errorum.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Ytrum Adam corpore esset moriturus, si non peccasset. Duplex mortalitas, & immortalitas.

NAM ex eodē fonte fluxit & illa cuius-
 dā recētoris exorbitatio, quā mortē
 corporis Adamo, etiam sine peccati
 merito, venturam esse sensit & scri-
 psit. Verba quibus expressit sensum suum ista
 sunt: *In hoc innocentia statu fuissemus aduersus om-
 nes inuarias & inuasionis elementorum impassibilitatis
 dote muniti; in omnibus imaginabilibus commodita-
 tibus praterquam immortalitatis. Tandem namque,
 utpote qui ex istisdem eramus constati elementis, quibus
 nunc compositi sumus, necesse fuisset videre finem
 istius opificij. Mortui fuissemus sine dolore: ut verbo
 dicam, fuissemus mortui. Vides & hunc dum
 Philosophiam sequitur, cūm Theologiam de-
 buisset, esse deceptum. Nam compositio cor-
 poris ex elementis eum in exorbitantem illam
 traxit sententiam, quam Catholica Ecclesia
 tanquam heresim proscriptit. Eodem rationis
 humane furo jam olim Augustinus quosdam
 narrat esse deceptos. Credebant enim Ada-
 mum propter corpus animale exiturum fuisse de hoc
 corpore, ut videlicet mors corporis non de peccato as-
 cendisse videatur, sed naturaliter, ut animalium ce-
 terorum. Pelagiani verō hoc ipsum in dogma
 verterunt, similiter existimantes mortem cor-
 poralem Adamo & nobis, non peccati merito,
 sed necessitate natura venturam esse, utpote quam
 caro animalium, ut Iulianus loquitur, de natura
 institutione suscepisset.*

Sed certa & Catholica veritas est, homi-
 nem, nisi peccasset, non fuisse corpore mori-
 turum. Docet eam Augustinus plurimis locis:
*Quapropter, inquit, fatendum est primos quidem
 homines ita fuisse institutos, ut si non peccassent, nul-
 lum mortis experirentur genus: sed eosdem primos pec-
 catores ita fuisse morte multatos, ut etiam quicquid
 eorum stirpe esset exortum, eadem pena teneretur
 obnoxium. Et alibi: Proinde si non peccasset Adam,
 non erat expoliandus corpore, sed supervestendus im-
 mortali. Et quia sexcentis locis eandem
 doctrinam tradit, sufficere unus pro omnibus
 ex libris de Civitate Dei: Constat inter Chri-
 stianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam
 ipsam nobis corporis mortem, non lege natura, quā
 nullam mortem homini Deus fecit, sed merito insti-
 tam esse peccati: quoniam peccatum vindicans Deus
 dixit homini, in quo tunc omnes eramus: Terra es,
 & in terram ibis.*

Quo ipso in loco doctrinam istam in Scri-
 ptura illa fundat: Terra es, & in terram ibis.
 Nam per illam, mors corporis, inquit, pronun-
 ciata est; quia nec ipsam fuerat experiturus, si per-
 mansisset, ut factus est relictus. Quod verō viventi ait:
 Terra es, ostendit totum hominem in deterius com-
 mutatum. Quem Scripturæ locum etiam alibi
 allegat; & ita manifestum esse putat, ut dicat:
 Quomodo nisi de morte corporis intelligi possit ignoro;

A praesertim cum Deus illud primo homini post pec-
 catum increpando, dammandoque dixerit. Est
 enim velut executio illius sententiæ, quam
 Deus ei minatus fuerat: *Quocumque die come-
 deris ex eo, morte morieris.* Nam quamvis annos
 multos primi homines postea vixerint, ut Augu-
 stinus ait, illo tamen die mori coeperunt, quo mor-
 tis legem, qua in seniam veterascerent, acceperunt.
 Hinc Apostolus apertissime dicit: *Per unum
 hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per
 peccatum mors.* Et alibi: *Corpus mortuum est
 propter peccatum.* In quem locum Augustinus;
*Corpus, inquit, mortuum est, non propter fragi-
 litatem terrenam, quia de terra pulvere factum est;
 sed propter peccatum. Quid amplius querimus? Et
 vigilantissime non ait, mortale, sed mortuum, nempe
 quia corpus illud, quod mori poterat, quia
 ab homine peccari poterat, per peccatum ne-
 cessitati mortis obstructum est. Alibi verō scri-
 ptura primā originem mortis esse indicat non
 naturam, vel naturā autorem: sed culpam, &
 culpæ progenitorem: Deus, inquit, mortem
 non fecit: invidia autem diaboli mors intravit in or-
 bem terrarum.*

Scripturarum istarum doctrinæ inhaeserunt
 Concilia, tum antiqua, tum recentia in di-
 versis orbis terræ regionibus celebrata, &
 istam Pelagij heresim unanimiter condemna-
 runt. Hinc Synodus Palestina, cūm Pelagio
 fuisset objectum, quod ipse, quemadmodum
 & discipulus eius Celestius docuisset, Adam
 mortalem factum; qui sive peccaret, sive non peccaret,
 moriturus esset; propositionem illam anathema-
 te condemnavit, & Pelagium idem dogma
 damnantem absolvit. De quo Concilij Pale-
 stini iudicio sic Augustinus: *Vnde sit consequens,
 ut quisquis sequitur illius Episcopalis auctoritatem iu-
 dicij, & ipsius Pelagij confessionem, hac tenere de-
 beat, que semper tenuit Catholica Ecclesia: Adam,
 nisi peccasset, non fuisse moriturum.*

C Hinc Concilium Carthaginense: *Placet
 omnibus Episcopis, qui fuerunt in hac sancta Synodo,
 ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem
 factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, mo-
 reretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non pec-
 cati merito, sed necessitate nature, anathema sit.*
 Et Concilium Araucanicum: *Siquis mortem
 tantum corporis, quæ pena peccati est, non autem
 peccatum, quod mors est anima, per unum hominem
 in omni genus humanum transisse testatur, iniusti-
 tiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti &c.
 & per peccatum mors. Hinc Concilium Triden-
 tinum: Siquis non confiterur, primum hominem Sess. 5. can. 1.
 Adam &c. incurrisse per offensam pravariationis hu-
 iusmodi iram atque indignationem Dei, atque aded
 mortem, quam antea illi comminatus fuerat, &c.
 anathema sit.*

Mirum

*Franciscus
 Guesius in
 summa Theo-
 log. lib. 3. p.
 700. Notus
 quibus en-
 cet esse
 d'innocen-
 te est mu-
 nis par l'im-
 passibilitē
 contre tou-
 tes les inju-
 rias & inva-
 siones des
 elemens, en-
 toutes les
 commodi-
 tez imagi-
 nables, ex-
 ceptē celle
 de l'immor-
 talité. Car
 enia estant
 composez
 des mesmes
 elemens, que
 nous som-
 mes com-
 posez main-
 tenant, il
 verterunt,
 eust fallu
 voir la fin
 de l'ouvrage,
 nous fussions
 morts sans
 douleur,
 mais enfin
 nous fussions
 morts.
 Lib. 6. de
 Civitate
 ad lib. 1.
 Causil. Car-
 thag. can. 1.
 Lib. 1. apud
 Aug. lib. 1.
 1. 1. imperf.
 13. de Civit.
 Lib. 1. de
 peccati
 merit. c. 2.
 Lib. 13. de
 Civit. c. 15.
 Genes. 3.
 Lib. 13. de
 Trinit. c. 1.
 Lib. 1. de
 peccati
 merit. c. 2.
 4.*

*Genes. 2.
 Lib. 1. de peccati
 merit. c. 16.
 Rom. 5.
 Rom. 8.
 Lib. 1. de peccati
 merit. c. 4.
 Sapient. 2.
 Apud Aug.
 lib. de gestis
 Pelag. c. 3.
 Canone 1.
 Canone 1.
 Sess. 5. can. 1.*

MIRUM

Mirum profecto, quo pacto scriptor ille Catholicus, de quo supra, in tantam Catholicæ veritatis lucem impingere voluerit, vel potuerit: sed majori admiratione dignum, quod quisquam sobrius eam suo calculo comprobaverit. Nisi quod hinc fortasse testimonium sumi possit, quam verè adversus eos, qui omnia Philosophicis rationibus metiri volunt, dixerit Augustinus: *Auctoritati credere magnum compendium est, & nullus labor. Nam imperitiores, si ratione velint verum comprehendere, similitudinibus rationum facillime decipiuntur, & in variis novisque opinionibus ita labuntur, ut emergere inde ac liberari aut nunquam, aut egerime queant.*

Lib. de quant. animæ c. 7.

Cùm igitur ex his constet, Adam immortalem esse factum, & nunquam nisi peccasset fuisse moriturum, scrupulum merito movet id quod Augustinus alicubi dicit, Adam ante peccatum fuisse mortalem. Objecit Augustino hunc locum jam olim ipse Iulianus: cui respondet: Adamum se hæcenus dixisse esse mortalem, quia poterat mori: poterat namque peccare. Pro quo sciendum est, dupliciter intelligi, vocarique posse mortalitatem, sicut & immortalitatem. Vna mortalitas est, qua quis mori potest: altera, qua mori debet. Illa primus homo mortalis ante peccatum fuit: hæc verò post peccatum tam ipse, quam posterius ejus. Nam ante peccatum mori poterat, quia peccare poterat: peccato verò jam perpetrato, necessitas moriendi consecuta est. Simili ratione duplex immortalitas statui potest, una, qua quis potest non mori; alia, qua quis non potest mori. Illa fuit Adami ante peccatum: hæc verò ad æternam beatitudinem resurgentium. Adam namque ante peccatum poterat non mori, quia poterat non peccare: solius enim peccati merito necessitas moriendi, Deo vindicante subsecuta est. Beatorum verò tanta erit immortalitas, ut in æternum, neque peccati alicujus merito, neque naturæ infirmitate, vel necessitate, morituri sint, aut mori possint. Tradit hæc omnia accuratè diversis locis. Nam de duplici mortalitate ita loquitur: *Antequam mutaretur (corpus Adæ) in illam incorruptionem, qua in sanctorum resurrectione promittitur, poterat esse mortale, quamvis non moriturum; sicut hoc nostrum potest, ut ita dicam, esse ægrotabile, quamvis non ægrotaturum: eius enim caro est, qua non ægrotare possit, etiamsi aliquo casu, priusquam ægrotet, occumbat? sic & illud corpus iam erat mortale. Et paulò antè, rem similitudine declarans: Sicut enim hæc ipsa caro, quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse, ut vulneretur: sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse, ut iniret-*

Lib. 1. de pecc. merit. c. 3.

Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. f. 91

Lib. 1. de pecc. merit. c. 5.

Ibid. c. 3.

aur. Quibus ultimis verbis mortalitatem nostram explicat, quæ non solum potestate, sed necessitate morimur. Duplicem verò immortalitatem declarat his verbis: *Prima immortalitas (Adami) erat, posse non mori; novissima (beatorum) erit multo maior, non posse mori.* Et in libris de Civitate Dei: *Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori; novissima erit non posse mori: ita &c.* Vtramque verò simul tam duplicem mortalitatem, quam immortalitatem oculis discretè subjicit, de corpore primi hominis disputans: *Illud (corpus) ante peccatum & mortale secundum aliam, & immortale secundum aliam causam dici poterat: id est, mortale, quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est autem posse non mori, secundum quem omnium primus creatus est homo immortalis. Et paulò post: Si enim corpus animale, utique mortale; quia & mori poterat: quantumvis & immortale ideo, quia & non mori poterat. Neque enim immortale, quod morimur non possit, erit nisi spirituale; quod nobis futurum in resurrectione promittitur: ac per hoc illud animale, & ob hoc mortale &c. factum est propter peccatum mortale, quod & antea erat, sed mortuum. Quod paulò inferiùs exponit per necessitatem moriendi, quam illud non habuit. Nam quamvis ante peccatum hæcenus mortalis esset, quia peccando mori poterat, eo tamen die, quo peccavit, in ipso mortalitatis genere longè pejor factus est. Mutata quippe in deterius est vitiatæque natura, atque à ligno vite separatione iustissimâ, mortis in eis etiam corporalis necessitas facta est: cum qua nos necessitate nati sumus. Eaque de causa Apostolus vocavit corpus nostrum propter peccatum non jam mortale, sed mortuum; quia jam moriendi necessitate constrictum. Tunc enim ita erat in animam viventem, ut mortuum rectè dici non posset: quia nisi perpetratione peccati necessitatem moriendi habere non poterat. Ex quibus etiam colligas, hoc ipsum, quod animale & mortale corpus Adam non esset tamen moriturum, non ex natura corporis istius pullulasse, sed divino munere hoc non peccantibus fuisse collatum. Nam si internam corporis compositionem spectes, nihil in se habebat, quo ejus interitus arceretur. Indicat hoc idem Augustinus, cum postquam dixisset, Adamum secundum quemdam modum creatum fuisse immortalem, adjicit: *Quod ei præstatur de ligno vite, non de constitutione natura: quo ligno separatus est, cum peccasset, ut posset mori: qui nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat constitutione corporis animalis; immortalis autem beneficio vitæ.**

Lib. de civitate Dei

cap. 11.

Lib. 11.

cap. 11.

Lib. 11.

cap. 11.

Lib. 11.

cap. 11.

Lib. 11.

cap. 11.

Lib. 11.

cap. 11.

Lib. 11.

cap. 11.

Lib. 11.

cap. 11.

Lib. 11.

cap. 11.

Lib. 11.

cap. 11.

Lib. 11.

cap. 11.

Lib. 11.

cap. 11.

Lib. 11.

cap. 11.

Lib. 11.

cap. 11.

Lib. 11.

CAPYT

CAPVT QVINTVM.

De cæteris miserijs mortalitatis affectis; & de quiete omnium sensuum.

EX ijs, quæ de immortalitate Adami, mortisque per peccatum consequentis necessitate diximus, facile conijci potest, quid de cæterarum miseriarum, quibus affligimur, absentia præsentiaque sentiendum sit. Eadem enim ferè est & cæterarum ratio. Non enim idcirco moriendi necessitas ab illo statu aberat, quia mors erat, sed quia miseria; quæ non decebat affligi hominem ante peccatum. Ex quo effectum est, ut quemadmodum lucta carnis & spiritus, & mors ipsa corporalis ab illa felicitatis patria exulabant; ita omnis omnino abesset miseria, qua undecunque, sive ex animo, sive ex sensibus, sive ex corpore, sive ex rebus externis irruente, cruciaretur invitus. Invitum enim quocunque sive magno, sive exiguo affligi malo, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Sic enim condita est creatura rationalis, ut malum ejus non ex institutione Dei, sed ex sua voluntate penderet, ita videlicet, ut malum ejus quodcumque atque miseria solius peruersitatis esset supplicium; quatenus ita per justitiam perturbatus ordo, quem Deus primitus constituerat, faretur. *Creatoris præstantissimis, inquit Augustinus, hoc est, rationalibus spiritibus, hoc præstitit Deus, ut si nolint corrumpi, non possint, id est, si obedientiam conservaverint sub Domino Deo suo, ac sic incorruptibilibus pulchritudini ejus inhererent: si autem obedientiam conservare noluerint, quoniam volentes corrupti puniuntur in peccatis, nolentes corrupti puniuntur in penis.*

Ex ista igitur divini ordinis rectitudine factum est, ut nihil mali expellendum esset ex isto beatitudinis loco; sed solummodo arcendum, ne status illius integritatem & felicitatem irruendo violaret. Nec verò alia arcendis malis cura erat necessaria, quam ut in bona voluntate, hoc est, creatoris sui charitate perfleret. Si enim ad arcenda animi & corporis mala, quibus animale corpus potuisset affici, noluisse uti medijs quæ Deus instituerat, hoc ipsum non sine inordinata, & per hoc mala voluntate noluisse: atque ita justè sequentem ex illa inordinatione miseriam pateretur. Hinc est quod famem, sitim, senectutem, cæteraque corporis animalis incommoda nunquam ipse cibo, potu, lignoque vitæ tanquam cruciantia sensum suum mitigare fugareve debuisset: sed tantummodo, antequam cruciarent sensus suos, avertere. Quod Augustinus sapissimè significatum voluit, quando dixit in libris de Civitate Dei: *Alentur ergo alij que sumebant, ne animalia corpora molestia aliquod esuriendo, ac sitiendo sentirent: De ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis undecunque subreperet, vel senectute confecta decursis temporum spatij interi-*

Arent. Et in eodem libro: *Corpus eius cibo ac potu egebat, ne fame afficeretur ac siti; & non immortalitate illa absoluta atque indissolubili, sed ligno vitæ à mortis necessitate prohibebatur, atque in inventuris florere tenebatur.* Et in libris de peccatorum merito & remissione: *Habebat & de lignorum fructibus refectorem contra defectum, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.* Et contra Iulianum: *Habebat sustentaculum animali corpori necessarium, ne indigentia laderetur: De ligno autem vitæ, ne senectute perduceretur ad mortem.* Studiosè semper negativis illis phrasibus istud agens, ne quis unquam eum fame, aut siti, aut senectute affligi potuisse judicaret.

Quæ verò de morte, senectute, fame, ac siti, eadem omnino de cæteris corporis ægritudinibus ac molestijs ratio est. Hoc enim idem divinitus institutus ordo, eadem justitiæ norma postulat, ut non solum illis magnis, sed nec levissimis ullis incommodis invitus, nisi peccato præcedente, & committente, laderetur. De quibus corporis ægritudinibus Augustinus: *Ægritudinem ita nullam corpora illa patiuntur (post resurrectionem) sicut nec ista pati possunt, ante peccatum.* De alijs corporis corruptionibus atque molestijs: *Quid mirum, si corpus potuit ab omnipotente artifice tale fieri, ut nulla molestia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, & nulla corruptione tabesceret?* De laboribus: *Nondum erat labor, ut adiumento indigeret.* De cæteris sive intrinsicis orientibus, sive extrinsecis irruentibus quibuscumque corporis malis: *Et ante lapsum quidem non utebatur (homo rebus) tolerandis; nec post lapsum utitur, nisi conversus.* Et alibi generalius: *Erat devotio tranquillæ, quæ manente nullum omnino aliunde malum, quod contristeret, irrueret.* Et adhuc generalius alio in loco: *In quibus (bonis) prorsus nullum patiebatur malum. Quam summam ab omnibus incommodis corporalibus immunitatem, quæ nullos externos sensus intrinsicus aut extrinsecus ulla ratione offendi aut perturbari lineret, strictim explicat adversus Iulianum: Vbi absit, ut credamus aliquid fuisse, unde sensum nostrum sive intrinsicum, sive extrinsecum, aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor ureret, aut alger stringeret, aut horror offenderet.*

Ex quibus omnibus, quæ hætenus diximus, manifestè liquet, admirabilem quandam fuisse in ista primæ felicitatis regione tranquillitatem hominis, & pacem. Vivebat enim in ea sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod præceperat Deus. Vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus. Vivebat sine ulla egestate, ita semper sine mortis metu vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret, potus,

Lib. 13. de Civit. Dei. c. 20.

Lib. 13. de Civit. Dei. c. 20.

Lib. 1. de pecc. merit. c. 3.

Lib. 4. cont. Iul. c. 14.

Lib. 1. Retract. c. 11.

Lib. 2. de G. n. c. 1.

Monach. c. 7.

Lib. 9. de G. n. c. 1.

Lib. 83. q. 99.

Lib. 14. de Civit. c. 10.

Lib. de corrupt. c. 11.

Lib. 5. cont. Iul. c. 5.

potus, ne sciret, lignum vite, ne illum sensu dissolveret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ulla molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in sanitate juventutis amenitas, in omnibus sensibus quies, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus aestus aut frigus, sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio, nulla retardatio, nullum impedimentum. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum: nihil boni, quod bona voluntas adesse optaret, aberat; nihil mali quod abesse desideraret, aderat. Gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas, ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Inter se conjugum fida ex honesto amore societas, nullus inhians voluptatis ardor in animo, nullus concupiscentialis æstus in corpore, nullus pudor in fronte; ubi nec virum stimulat sua, nec alterius eum libido tentabat: concors mentis corporisque vigilia, mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non fomus premebat invitum. In tanta bonorum abundantia summa securitas, eam sine ulla omnino interpellatione duraturam, nisi eam ipse propriæ petulantia voluntatis abrumperet. Quidquid enim illi divinitus collatum fuerat, ab unico fortissimoque proprii arbitrij motu

A suspensum esse Deus voluit: ut quemadmodum ei ipse bonorum omnium autor fuerat, ita de divina benignitate & diaboli hostilitate securus, neminem malorum suorum autorem, nisi seipsum, timere vel potius accusare cogere. Nam neque sui ipsius timoribus esse poterat, ubi nihil ei vel ex seipso mali, præter ipsam liberam voluntatem, posset accidere. Quod si quis penitus fundamenta pernoscere desideret, quibus tota ista doctrina nititur, quam quinque precedentibus capitibus tradidimus de creatione primi hominis in charitate, in corporis & animi tranquillitate, sine molestia quorumcumque appetituum, sine laudis & excellentia, sine quarumlibet voluptatum; sine mortis aut mortalitatis miseria, sine laboris aut doloris afflictione: & cur istiusmodi commodis privari vel incommodis affligi, sub Dei omnipotentis justissima providentia, non potuerit ante peccatum; legat illos tres libros, quos de statu puræ naturæ ex D. Augustini mente contra gentium Pelagianorum, & multorum recentiorum Philosopherum scripsimus. Sed jam de arbitrij libertate, an & qualis in Adamo fuerit, & quo divinæ gratiæ adjutorio indigerit, paulo accuratius dicendum est. Nam præcipue istius ergo à nobis dicta sunt, quæcumque hætenus de interna hominis externaque tranquillitate, malorumque omnium vacuitate differimus.

CAPUT SEXTUM.

Adamus liberum habuit arbitrium. Quid liberum sibi velit.

ARBITRIUM igitur Adamo liberum fuisse datum, nulla omnino in Catholica doctrina dubitatio est. Tradit hoc sæpissime disertis verbis Augustinus: *Fecisti hominem, dedisti ei liberum in paradiso collocasti &c.* Et rursus: *Qui enim hominibus dedit liberum arbitrium, ut non servili necessitate, sed ingenua voluntate Deum colerent, dedit etiam Angelis.* Et in Enchiridio: *Sic enim munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, teneret exitio.* Quam doctrinam multis alijs in locis tam de Angelis, quam homine primo repetit, & Concilium Arausicanum in diversis Canonibus tanquam indubitatum tangit atque supponit.

Concione 1. Augustinus: *Fecisti hominem, dedisti ei liberum in paradiso collocasti &c.* Et rursus: *Qui enim hominibus dedit liberum arbitrium, ut non servili necessitate, sed ingenua voluntate Deum colerent, dedit etiam Angelis.* Et in Enchiridio: *Sic enim munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, teneret exitio.* Quam doctrinam multis alijs in locis tam de Angelis, quam homine primo repetit, & Concilium Arausicanum in diversis Canonibus tanquam indubitatum tangit atque supponit.

Porro duo sunt, quæ tam Augustinus, quam Canones isti ex Augustini doctrina sumpti significata voluerunt. Vnum est, datam fuisse homini primo potentiam, seu facultatem illam, quam vulgò liberum arbitrium appellamus: sine cujus motu, hoc est, voluntate sive volitione nihil rectè aut perperam, ab homine aut Angelo, sive stante, sive jam lapsò, fieri potest: quodque, tam ante, quam post lapsum, tam in cælo, quam in inferis, cum creaturis rationalibus perseverat. Quo sensu dixit Augustinus: *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed*

Lib. de grat. & lib. arb. c. 17.

A non semper est bona. Et hoc sensu Catholici adversus Manichæos asserere ac tueri solent, datum esse homini liberum arbitrium, ex quo peccata promanarunt. Sed adversus Pelagianos longè alius istarum phrasium sensus est. Alterum igitur est, datum fuisse homini primo in sua conditione certum quendam & laudabilem istius potentia statum, quæ magis propriè & quasi antonomastice ab Augustino, & ipsâ Ecclesiâ Catholicâ, *Libertas* dici solet: & ab eodem plerumque *vera libertas* nuncupatur, juxta illud Christi: *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* De ista enim libertate loquitur Augustinus, cum dicit: *Quis enim Deo natus, (primum hominem) nescit servam, & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad iustè vivendum potestate libera constitutum? Vbi non urget generalem illam naturam liberi arbitrij, qualis & demonibus & hominibus per versis competit: sed illam specialem conditionem, de qua diximus. Quod maxime ex eo patet, quia libertatem illam jam peccato tum ibi tum alibi perditam docet: cum tamen facultas liberi arbitrij non sit perditâ. Vnde mox adjungit: *Sed nunc de illo agitur, quem semi-vivum latrones ibi reliquerunt &c.* Et luculentius alibi: *Arbitrium lib. 14. de voluntatis tunc est verè liberum, cum vitij peccatisq; non ser-**

Lib. de grat. & lib. arb. c. 17.

97

non seruit. Tale datum est à Deo, quod amissum pro-
prio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest.
Vnde veritas dicit: Si vos Filium liberaverit, tunc vere
liberi eritis. Et in libro de correptione & gratia:
Illi ergo sine peccato illo data est, cum qua conditus
est, voluntas libera, & eam fecit seruire peccato:
horum vero cum fuisset voluntas serua peccati libera-
ta est &c. Quæ doctrina Augustino familia-
rissima est, & postea ex scriptis, & ipsissimis
verbis ejus, canone per Ecclesiam sancita.
Locus enim quem ex decimo quarto de Civi-
tate Dei citavimus, est Canon Concilij Arau-
sicensis decimus tertius. Prima itaque appellatio
ista liberi arbitrij generalis est: secunda valde
specialis: quæ tamen inter se magnam affini-
tatem habent. Quotquot enim libertatem con-
cipere volunt, apprehendunt aliquid quod non
est captivum, non servum alteri, expeditum
ab alio, non alligatum illi. Vnde Iudæi Do-
mino libertatem promittenti dixerunt: Ne-
mini servimus unquam: quomodo tu dicis: Liberi
eritis? Experimentes libertatem per negatio-
nem serviendi, sicut & Augustinus loco cita-
to, & alibi sæpius: sive negativis illis expres-
sionibus aliqua proprietas negativa, sive etiam
positiva significata sit: quæ magis in istiusmo-
di verbis elucet, quibus liberum dicitur esse,
quod est suum, & sua potestatis, ut vocavit Ter-
tullianus, vel quod est sui causa, ut Aristoteles.
Ista quippe positivam quandam conditionem
videntur tangere, quam tamen vix explicare
possumus, nisi dicendo, id esse suæ potestatis &
juris, quod non servit alteri; sed potius illi alia:
id sui causa esse, quod non refertur aliò, sicut
mediū ad finem, quemadmodum ibidem indi-
cat Aristoteles. Hinc ergo fit, ut libertas natu-
ræ suæ dominetur, & aliud in sui obsequium
trahat: servitus verò dominatum illum alterius
respiciat, ut cui jure submissionis obstricta est.
Atque ita libertas est ipsius finis; servitus verò
eorum, quæ sunt ad finem. Hinc ultimi finis
summa libertas est. Quia summo modo est
propter se, nullam umbram servitutis admit-
tens. Sic enim & ipse Deus summus, & verus,
& perfectus est Dominus, cui omniaerviunt,
juxta Psalmum. Quia omniaerviunt tibi; ipse ne-
mini: idque sive naturam ejus spectes, sive amo-
rem. Nam ut omnium finis est; ita & seipsum
non tanquam sui ipsius, sed tanquam omnium
rerum à se dilectarum finem intuetur; ut ita
nemini affectu, sed sibi soli, si dici fas est, ser-
viat, hoc est, ut ipse sit ipsissima libertas, cu-
jus comparatione, quidquid universum conti-
net, serviat. Quo autem aliquid ultimo illi fini,
summoque Domino propinquius jungitur, sive
substantiæ suæ, sive amoris conditione; eo
propinquius quoque ad ipsam essentialiter li-
bertatem, quæ Deus est, & ad apicem omnis
suæ veræ libertatis accedit. Ad quam quia
nulla creatura ita accedere potest, ut Deus fiat,
nulla etiam potest esse essentialiter libera; sed
libertatis, sive in Dei natura, sive in ejus vo-
luntate relucens, magis magisque particeps.
Hoc autem habet creatura rationalis, ut sicut

naturæ suæ conditione omnibus creatis rebus
eminet, atque dominatur, omniaque ad ipsam
veluti finem ac dominam, adeoque ab eis li-
beram referuntur; ipsa vero ad solum Deum:
ita quoque affectu & arbitrio libera fiat, si illi
soli veluti fini ultimo, ideoque essentialiter
libertati subijciatur, cui naturæ conditione sub-
juncta est. Per hoc enim fit, ut ab omnibus
omnino rebus, quibus naturam antecellit, etiam
arbitrij qualitate liberrima fiat. Finis enim ul-
timus amplissimam quandam immensitatem
possidet respectu omnium omnino mediorum,
hoc est, universæ ab eo conditæ creaturæ, &
ab omni illa, inalligatissimam libertatem. Vnde,
& amor illius finis illam eandem libertatem
amantis facit: ut sicut finis ille ultimus omni-
bus omnino ad se ordinatis, sive naturæ statu,
sive voluntatis suæ dilectione ad se ordinatis,
tanquam servientibus imperat atque domina-
tur, legem ac normam tribuit, ut prout ipse
postulaverit, ita timent aut cadant, orientur
atque inorientur, mutantur aut stabiles ma-
neant: ita amor ille creaturæ voluntatis, qua
illi ultimo fini subditur, immensitatem illam
affectus & libertatem induit, ut & ipsa ab om-
nibus ad finem illum ordinatis, adeoque in
primis à sui ipsius quoque subjectione, & ser-
vitate expedita omnibus dominetur, nulli ser-
viat: ut hoc pacto ipse amor finis istius fiat li-
bertas ejus, seu id, quo tanquam formam sta-
tutam illius laudabilis ac beatissimæ libertatis
possidet. Sublimem enim quandam independ-
entiam ab omnibus se inferioribus ex isto
tublimi & independenti ente, cui amore sub-
ditur & ab ejus libertate servitutis omnis in-
capaci participat: quæ postea in creaturam
omnium usu, hoc est, assumptione neglecta
que demonstratur.

Hinc fit igitur, ut sicut creatura rationalis, si
naturam spectes, essentialiter à conditoris sui
natura dependet, cui naturaliter serva est, sicut
medium quodlibet respectu finis; ita quoque
libertas arbitrij, seu voluntatis ejus sit etiam
essentialiter quoddam servitutis genus. Deum
enim uti finem suum, ex quo beata fiat,
amando, necessariò etiam servit Deo. Vnde
Augustinus: An ita sunt liberi, ut nec illum
(Deum) velint habere dominum? Nam ut alibi
dicit: Sic datum est liberum arbitrium (humane
naturæ) ut eam tamen necesse sit vivere sub potestate
melioris. Idque non tantum naturæ gradu, sed
& ordine voluntatum. Ab illo enim habet
creatura rationalis, ut tanquam ultimi finis
adeptione atque possessione beata sit, à quo
habet, ut sit. Quicquid autem amatur veluti
finis, quo quis frui, & beatus fieri velit, hoc
amanti de minimatur. Hac enim utendi re qua-
piam & fruendi differentia est, quod vo-
luntas fruens se sub amatum deprimat, utens
elevet: quo fit, ut illa servum amati faciat, hæc
demòstret liberum. Amor enim fruendi aman-
tem ad amatum ordinat: utpote quem respiciat,
tanquam principium & causam ex qua fruendo
beatitudinē suā adipisci cupit; cum hoc sit frui,
in altero

E

in altero velut principio causaque suae beatitudinis acquiescere. Omne verò, quod ad alterum ordinatur, eo inferius esse, necesse est. Qui verò amat, non ut fruatur, sed ut utatur, rem amatam ad seipsum ordinat. Quo fit, ut ipse sit principium; res verò, quae utitur, ad principium: ipse velut superior utendo dominetur; haec serviat subiacendo. Sic ergo creatura rationalis, hoc ipso quo Deo velut ultimo fini suo, velut independenti liberri-
moque creaturarum omnium Domino, velut ipsi essentialiter libertati subditur, fit quidem summè libera, creaturarum sibi subjectarum domina, ab omni captivitatis nexu & servitutis vinculo expedita, ab omnibus independens; sed serviendo fit libera. Vnde Augustinus servitutem illam, *salubrem* rationalis creaturae servitutem vocat, quam male libero abrupte arbitrio. Et alibi, *arbitrium* vocat laudabiliter liberum. Est enim servitus amoris. Nam ipse amor, per quem principio suo serviendo subditur, hoc est, ipsa servitus ejus, est libertas ejus: quam eleganter Augustinus liberam servitutem vocat. Deo enim servitè regnare est: quia servitus creatoris seipsam servientem creaturarum Regem ac Dominum facit, ut, parto per ipsam illam servitutem verissimè libertatis statu, creaturis omnibus affectu suo dominetur, utaturque liberè, prout dilectio creatoris imperaverit.

Enchirid.
27.
et. cont. Tul.
oper. imper.
f. 119.

Lib. 14. de
Civit. c. 15.

Nec sanè mirum videri debeat, quòd vera plenissimaque libertas creaturae cum hujusmodi servitute consistere queat, cum hujus rei effigies in civili quoque illa notissimaque libertate cernatur. Nam corpora ubi nata sunt, ibi in patria esse dicimus; & si vero suo Principi, veroque Domino legitime imperanti serviant, esse libera: si inde per vim abripias, exulant, captiva sunt, serva sunt. Ingenua quippe & libera servitus est, qua legitimo Domino servitur liberaliter. Vnde à tali servitute etiam liberi appellantur. Contingit in animis aliquid simile. Nam vera regio, & patria ubi nascitur anima, veritas est, hoc est, Deus: haec patria, haec pater, haec dominus ejus est exilium, oppressor; ac tyrannus ejus, creatura. Ex quo fit, ut si anima aeternae veritati haereat, illam diligat, illam fruatur, ex ejus spiritu vivat, in vera sua patria vivat, & tanquam vero suo Domino subdita in summa libertate versetur. Nam ubi spiritus Domini; ibi libertas. Inde si exeat, in exilium rapitur, captiva fit, serva efficitur. Nam extra patriam quae esse possit, nisi exul, serva, captiva, tyrannidi altèrius subdita; ut quae verum Dominum suum dereliquerit? Omnia ista amore peraguntur:

Aug. Psalm.
94.

Pedes enim nostri in hoc itinere, affectus nostri sunt: prout quisque affectum habuerit, prout quisque amorem habuerit, ita accedit, vel recedit à Deo; his propinquamus, his distamus; his similes, his dissimiles; his hospites & advena velut patriae extorres, his cives sanctorum & domestici Dei; his denique liberi, velut ab ipsa ve-

ritate liberati, his servi corruptionis, & peccato captivi sumus. Quid ergo mirum, si Augustinus & Ecclesia illam ubique libertatem praedicent, quae creatura rationalis Deo per amorem subdita, ab omni creaturae servitute & captivantis dilectionis visco vacua, in aeternae amplissimaque regione veritatis velut patria sua super omnes omnino creaturas, non solum naturae ordine, sed affectuum quoque absolute, liberrius pennis volitet? Haec est ergo libertas illa, quam Augustinus & Ecclesia arbitrio primi Adami tribuunt, & ejus peccato perditam gemunt.

Nam felicissima libertas illa, ut amoris creatoris incipit; ita eodem crescente, & adulto, incrementum & perfectionem sumit. Quo enim arctius creatura creatori suo, hoc est, ipsissima libertati suae subditur, eo fit liberior. Ipse enim amor creatoris sive veritatis, est formalis libertas ejus. Ex quo efficitur, ut si immobiliter haereat liberanti sive veritati, immobilis etiam fiat libertas ejus & fin mobiliter, ab illa quoque possit excidere. Mobilis igitur libertas Adamo data est, ut aptissimus esset ejus merito locus: immobilis in praemium reservata; nisi mobile illam libertatem peccando, hoc est, petulantia flexibilis in malum voluntatis abrupter. *Servandi enim erant gradus divini muneris, hoc est, concessus divinitus libertatis, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo: novissimum quo peccare non posset; atque illud ad comparandum meritorium, hoc ad recipiendum praemium pertineret.*

Itaque mobiliter Adam per illum amorem creatoris liber fuit, ut exidere posset; & in eo permanere, si vellet: atque ita in quodam confinio vitae & mortis constitutus, ut utramlibet, vitam aut mortem elegisset, utramlibet ipsi aeterna, & per hoc, aeterna quoque libertas, vel servitus redderetur: cum nihil justius esse queat, quam ut id quisque inamissibiliter ad fruendum teneat, quòd sibi ad amandum liberam voluntate delegit. In hoc enim iustissima meriti praemijque ratio constituta est. Ad utramlibet igitur, hoc est, ad bonum & malum, ad vitam & mortem, ad amorem Creatoris & creaturae, ut sapissimè Augustinus docet, illa prima libertas indifferens fuit. *Quibus, inquit, (primis hominibus) potestatem utrum vellent dedit. Et in libro de correptione & gratia: Quod (arbitrium) tunc ita liberum erat, ut bene velle posset, & male. Et in Enchiridio ad Laurentium: Sic enim oportebat prius hominem fieri, ut & bene velle posset, & male; nec gratis, si bene, nec impenitens, si male: postea verò sic erit, ut male velle non possit &c. Cur ergo non condidit hominem ita plenè liberum, ut peccare non posset? quia ordo praetermittendus non fuit: in quo Deus voluit ostendere, quam bonum sit animal rationale, quòd etiam peccare possit; quamvis sit velius, quòd peccare non possit,*

in isto

In isto ergo stadio constitutus Adam, cum^A ad utrumlibet contrariorum esset indifferens; atque ita per amorem creatoris liber ab amore creaturæ, ut felicem illam libertatem, alia libertate posset abijcere; non ei placuit in illa creatoris servitute & subjectione persistere; sed ad se conversus, qui ad creatorem debuit, se velut principium suæ libertatis & voluntatis intuendo, per superbiam se Deo prætulit; & dum nescio quâ imagine libertatis illi servire noluit, cui naturaliter servit ac subiacet, in veram servitutem, amisit libertate, præcipitatus est. Nam quamvis liberior esse videretur, nemini omnino alteri serviendo, nec ipsi quidem Deo; hoc ipso tamen quo istud non nisi amore finis alterius fieri potuit, qui, ut supra diximus, naturaliter amanti fruenteque dominatur, in pessimæ servitutis genus incidit; quâ creatura illa, cujus amore, velut finis sui adhaesione, lapsus est, voluntati ejus dominatur, & velut servum bello partum firmissimè possidet, & captum tenet. Nam à quo quis devictus est, huic & servus addictus est. Hæc autem alia non potuit esse creatura, quàm ipsamet illa, quæ inter Deum, cæterasque creaturas quasi in medio constituta, Deo inferior, cæteris superior, excusso superiori jugo, ipsa sibi dominari voluit. Quid enim poterat post Deum amare tam sublimis mens, nisi id quod post Deum sublimissimum occurreret? In quid primò poterat cadere, nisi in id quod Deo, unde labeatur, & sibi qui labeatur, proximum fuit? Hoc est autem mens ipsa sibi. Nec enim quicquam externum primo illo creaturæ amore appeti potuit; cum omne rei alterius desiderium, præexistentis sui ipsius amoris indicium & proles sit. Amor enim indignus, quo quis aliquid aliud appetit, non rei quam appetit, sed indigenti appetit. Sibi ergo appetisset, si quid appetisset; se ergo amasset, antequam aliud appetisset. Necessario quippe aut corporis aut animi sui bonum, aut utriusque sectatus esset, quod deficiendo adipisci voluisset. Hoc autem nemini adeptum voluit, nisi sibi ipsi; atque ita quidquid tandem veluti finem suæ rebellionis intueri videretur, in semetipsum veluti finem ultimum cui suæ defectionis atque dilectionis retulit, quem multò arctius, & intimius, & universalius in cupiscunquæ concupiti boni dilectione diligebat. Vnde optimè Augustinus:

Amores omnes & dilectiones prius sunt in hominibus de se, & sic de alia re, quam diligunt. Si diligis aurum, prius te diligis, & sic aurum. Sic igitur jam tum non modò civitates duas; sed etiam libertates duas, ac servitutes duas facere ac distinguere ceperunt, amor Dei usque ad contemptum sui, & amor sui usque ad contemptum Dei. Nam quemadmodum ille castus amor Dei, quem ei condendo creator inseruerat, liberimum ab omnium creaturarum vinculis, tamen servum justitiæ, hoc est, Dei veri Domini sui fecerat; ita vicissim perverus ille, in quem cecidit, amor sui, liberum eum à

justitia ac Deo; servum verò sui ipsius fecit, omniumque omnino creaturarum, in quas postea amor sui jam recens natus exardesceret. Nam amor ille sui, quo seipso quodammodo, deficiendo à Deo, frui velle videbatur, non stetit in se; sed continuò suam expertus est indigentiam, & à seipso sensit se beatum esse non posse. Hinc igitur, cum sursum esset præclusum iter in Deum, quem veræ beatitudinis fontem homo deseruerat, deorsum ulterius in creaturas alias pergere compulsus fuit, ut in illis id, quod sibi deesse sentiebat, adipisceretur. Hic igitur infinitarum cupiditatum exercitus ebullit, quarum vinculo creaturis amatis arctissime colligatus, non sui ipsius tantummodo, sed & cæterarum rerum omnium, quibus propter seipsum amore copulatur miserimus servus effectus est. Seipsum enim in omnium aliarum rerum dilectione maxime diligit; seipsum in earum omnium fruitione amplius & nobilius fruitur, ut cui per omnia maxime consultum cupit.

Sed quia ars naturam, & creatura creatorem etiam peccando imitatur, dum quandam defectivam speciem, vitio salente, appetit, quæ non nisi in creatore vera reperitur; hinc in illa creaturarum servitute umbratica quedam species libertatis ab homine appetita est. Cum enim Deus non tantum ab omnibus creaturis liber, sed ipsa libertas sit, seipso tamen solo velut liberissimus fruitur, in quem tunc ei serviendo referuntur; fallacem libertatis umbram intuendo, etiam ab ipso verò Domino suo liberari voluit; ut quemadmodum Deus, nemini omnino serviendo nisi sibi, seque ipso fruendo, sui penitus juris, suæ potestatis, ab omnibus omnino liberissimus viveret. *Quid tñ Psal. 17. illi deorat, ut tangeret lignum vetitum, inquit Augustinus, nisi quia sua potestate uti voluit, præceptum rumpere delectavit? Ut nullo sibi dominante fieret sicut Deus, quia Deo nullus utique dominatur.* Sed hæc ipsa libertas, umbratica tantum libertatis est species, verissima verò servitus; quia à vero iustoque Domino avulsa, in foedissimi & tyrannici amoris sui ipsius, cæterarumque servientium cupiditatum jugum & captivitatem incidit: à quibus nullâ humanâ vel Angelicâ potestate, sed solâ Dei potentis gratiâ liberari potest. Sed quia servitus etiam ista quandam libertatem à justitia, hoc est, à Deo cõjunctam habet, qui non amplius fugitivè suæ creaturæ voluntatibus dominatur, & hoc ipso, quòd seipsam creatura velut finem omnium suarum actionum colit, amplitudinem quandam videtur adipisci, quâ omnibus omnino rebus uti potest, prout amatus ille finis postulaverit: hinc est, quod illa servitus quoque quædam libertas, etsi defectiva, esse videatur, & ab illa quoque dicatur *Liberum arbitrium*. Prima quippe vocis *liberi* significatio videtur esse abstractior, & quid commune ad libertatem veram, & mancã, genuinam & servilem, solidam & umbraticam; ita ut quodammodo in illas duas libertatis differentias dividatur.

Sed ex illis, quæ hæctenus diximus, facile est utriusque libertatis similitudinem & discrimen

crimen agnoscere. In hoc enim una alteri similis est, quod utraque ipso vocabulo respectum quemdam ad terminum quasi à quo arbitrium liberatur, involvat: dum illa à peccato, hoc est, à creaturis dilectis arbitrium captivantibus; hæc à iustitia, hoc est, à Deo vero Domino immunem & absolutam facit. Utraque non in naturis ipsis, sed in affectu sita est; utraque per primum præcipuumque arbitrii motum, & cardinem omnium motuum cæterorum, hoc est, amorem confertur; utraque per amorem, non quemlibet, sed ipsius ultimi finis; illa Dei, ista creatura. Et quia illius, quod ut finis ultimus diligitur, maxima quædam competit universalitas, & amplitudo, & independentia; utpote ad quem euncta referri, cui cuncta servire, à quo cuncta pendere debent: hinc est quod utraque libertas independentiam quandam tonet, & conferat, respectu eorum, quæ comparatione finis illius assumi vel respici debent, pro ut finis amati rationes postulaverint. Hinc consequenter utraque sui iuris, sua potestatis esse facit; utpote nulli ex ijs, quæ ad finem amatum referenda sunt, adstrictam; ut in ijs assumendis & verificandis, facere possit quod velit, quæ ad libertatis rationem pertinere supra diximus. Utraque ita libertatis rationem obtinet, ut tamen aliquid servitutis conjunctum habeat: sed illa respectu veri Domini æternæ veritatis ac Dei; ex quo fit, ut potius vera libertas, quam servitus nominanda sit; hæc respectu tyranni, ipsius videlicet creature, seu, quod in idem redit, amoris & cupiditatis ejus: quæ propterea potius vera servitus, quam libertas dici debet. Et propter istas multiplices utriusque libertatis similitudines factum est, ut abstracta ab utraque & utrisque communi significatione, communiter liberum arbitrium vocetur, prout Deo, beatis, & damnatis Angelis, & homini viatori communiter convenit, prout ad utramque istam libertatem est indifferens.

De gratia
& lib' arbitrii.
c. 25.

Ex ista enim vocis istius usurpatione Augustinus dicit: *Semper est autem voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est, quando servit peccato; & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando servit iustitiae; & tunc est bona. Vbi breviter pleraque eorum, quæ diximus, tetigit. Ostendit enim unde utraque libertas dicatur, respectu termini scilicet à quo: ostendit utramque quandam servitutem habere conjunctam: ex quibus duobus cætera que diximus facile colligi & inferri possunt. Et alibi, cum citasset illum Scripturæ locum: *Cum essetis servi peccati, liberi facti iustitiæ; ita**

Rom. 6.

adiicit: *Ecce ostenditur, etiam peccato minime potuisse, nisi alia libertate, servire. Liberi ergo à iustitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis: liberi autem à peccato non sunt, nisi gratia salvatoris. Quæ doctrina sexcentis ab Augustino diversis locis iteratur. Hæc est ergo vera ratio libertatis & liberi arbitrii, prout ab Augustino in hac materia, & post ipsum ab Ecclesia spectata fuit. In qua Augustinus ac discipuli ejus magis ipsam liberationem à servitute, hoc est terminum à quo, quem nomen ipsum indicat, quam illam à medijs independentiam, & utendi vel non utendi amplitudinem, spectaverunt; posteriores Doctores è contrario potius illam independentiam & amplitudinem, quæ ex amore ultimi finis, sive veri, sive opinati, respectu mediocum consequi solet. Nam inde profisciscitur, quod semper ad rationem libertatis illam indifferentiam, & quasi ab utroque extremo independentiam postulant; ut videlicet semper agere possit, & bene, & male; vel certe agere & non agere. Sed qui secundum istud ad rationem libertatis postulant, fortasse tolerandi sunt: qui primum, in ipsam impingunt Catholicam fidem. Nam Adam quamvis, ut supra ex Augustino demonstravimus, ita liber fuerit, ut & bene velle posset & male: atque ita istam contrarietatis indifferentiam obtinuerit, nullo tamen pacto istud ad libertatis sive rationem sive exercitium pertinere judicandum est. Cum enim libertas Augustino nota per amorem alicujus ultimi finis, sive Dei sive creature conferatur; per absurdum est ad eius rationem pertinere, ut arbitrium in isto amore dilecti finis ita mobile & instabile maneat, ut illum semper possit abrumpere; vel amorem alterius oppositi finis assumere. Hoc enim commentum fides destruit, quæ docet, tam beatos quam damnatos immobiliter in semel electi ac dilecti finis amore permanere. Sed ista liberi arbitrii mutabilitas solis Angelis & homini primo viatori, propter rationes aliquas supra tactas, peculiaris fuit. Nam etiam lapsus homo in amore dilectæ semel creature persisteret immutabilis, nisi mutatio per dexteram Excelsi fieret, qui potentissimâ gratiâ, lapsi hominis voluntatem à rebus creatis in se retorquet, eamque ab amata creaturæ, hoc est, à cupiditatum terrenarum vinculis liberando, se denuo verum ejus ultimum finem ac Dominum diligi facit. Sed de natura liberi arbitrii secundum profundissimi Doctoris nostri mentem, & de indifferentiis istis contrarietatis & contradictionis, quæ strictim hic attigimus, erit alibi fufius discerendi locus.*

CAPVT SEPTIMVM.

An Adam per vires liberi arbitrij in creatione
datas potuerit iuste vivere.

HACTENVS de libertate disserui-
mus secundum respectum quasi ter-
mini, à quo per illam homo libera-
tur: nunc dicendum de respectu
quasi termini ad quem, sive de usu libertatis, &
operibus, quæ illius virtute fieri possunt. Pri-
mus respectus est libertatis quasi secundum
essentiam, & naturam, & statum ejus; poste-
rior secundum exercitium ejus. Differentiam
istam agnovit Augustinus. Nam quamvis sæ-
pissimè, & serè semper primam illam ratio-
nem inculcet, nonnunquam tamen etiam tan-
git alteram; ut quando dicit: *Ad bonum opus*
liberum Adam condidit. Et in Epistola ad Vita-
lem: *Qua (gratia) nostrum ad declinandam à*
malo, & faciendum bonum, liberatur arbitrium. Et
aliquantò post de diaboli arbitrio loquens:
Quod nec ipse habet liberum ad bene faciendum. Et
adhuc inferius: *Cum potius illi oppugnent arbi-*
trium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, qua ve-
rè ad bona eligenda & agenda sit liberum. Et libro
primo ad Bonifacium: *Tunc verè liberi eritis:*
utique liberi ad bene iustèque vivendum. Quod eo-
dem loco, sicut & alibi, vocat, esse liberum
in bono, & liberum in malo: *Sed hac voluntas,*
qua libera est in malo, quia delectatur malis, ideo li-
bera in bonis non est, quia liberata non est. Et rur-
sum: *Nec liberum in bono erit, quod liberator*
non liberaverit: sed in malo liberum habet arbi-
trium.

Quæritur ergo, quas vires habuerit liberum
illud arbitrium primi hominis ad bene
iustèque vivendum? Scholastici enim Docto-
res non ita cæci fuerunt in volvendis monu-
mentis Augustini, quin facillè viderint, aliquid
ab eo libertati primæ hominis adhuc integri
respectu honorum operum tribui, quod lapsi
hominis libertati nullo modo concedi potest.
Itaque operosè hæc distinxerunt opera natura-
lia, seu moralia à supernaturalibus; observa-
tionem præcepti secundum substantiam operis,
& secundum modum; observationem totius
legis naturalis, & observationem unius vel
alterius præcepti; perpetuam, seu longi tem-
poris, & transitoriam unius horæ, vel diei, vel
occasionis &c. idque urgente aliqua tentatio-
ne, vel non urgente. Omnes enim judicarunt,
opera supernaturalia, ut fidei, vel dilectionis
Dei, non posse ejus libertati sine injuria divinæ
gratiæ tribui. Sed five distinctiones illæ ad-
mittendæ sint, sive non, quæ disputatio alibi
oportunius nos occupabit, hic cerè ad pro-
positum nostrum nihil facit. Nos enim quæ-
rimus, utrum illa opera, quæ lapsi hominis
arbitrio per Christi gratiam conferri debent,
Adam libertate arbitrij sui naturali, hoc est,
quæ in prima conditione naturæ concessa fue-

rat, perficere potuerit. Nam si constiterit, illa
opera per liberum ejus arbitrium potuisse fieri,
non donante gratiâ Dei; quid de cæteris fen-
tiendum sit, perspicuum erit.

Nos igitur hic asserimus, tanquam sine du-
bitatione verissimum, juxta doctrinam san-
cti Augustini, & Ecclesiæ, omnia hujusmodi
opera, adeoque & ipsam fidem, & dilectionem
Dei ab eo potuisse per arbitrij libertatem fieri,
sic ut ea non donaret ei gratia Dei. Quod
quamvis alicui paradoxum fortasse videatur,
non poterit tamen non admittere, si Augustini
& Conciliorum doctrinam admittere velit.
Multis igitur modis istud facillè probari po-
test.

Primò, quia non rarò plenam perfectamque
bene vivendi potestatem Adamo collatam
esse dicit. Nam de primo homine loquens ac
disputans, an debuerit rectè vivere, sic loqui-
tur: *Ex eo, quod non accepit, nullus reus est: ex*
eo verò, quod non facit quod debet, iuste reus est.
Debet autem, si accepit & voluntatem liberam, &
sufficientissimam facultatem. Nam ex eo quod
debet iuste vivere, primum hominem colli-
git habere debuisse sufficientissimam faculta-
tem. Et in libris de Genesi ad litteram: *Non*
mibi videtur magna laudis futurum fuisse homi-
ni, si propterea posset bene vivere, quia nemo male
vivere suaderet: cum in natura posse, & in pote-
state habeat velle, & non consentire suadenti. Ecce
in natura habebat posse bene vivere. Et quid
est, in natura, nisi in natura liberi arbitrij?
Et clariùs cum Pelagio disputans, qui na-
turæ, non gratiæ, bene vivendi potestatem
tribuebat: *Verum est autem, quod ait (Pela-*
gius) quod Deus tam bonus quam iustus talem ho-
minem fecerit, qui peccati malo cavere sufficeret; sed
si voluisset. Et rationem ex natura liberi ar-
bitrij petens: *Quis enim nescit, inquit, cum san-*
num & inculpabilem factum, & libero arbitrio,
atque ad iuste vivendum potestate liberè constitu-
tum? Et alibi: Agitur de illius mentis quadam
valentia (id est robore) usque rationis, quo præ-
ceptum Dei, legemque mandati & docilis Adam
caperet, & facile posset custodire, si vellet. Et apar-
tissimè sanctus Fulgentius Augustini discipu-
lus: *Nam utique naturaliter homini, cum cæperit*
in Dei Filium credere, si posse credere in conditione
primi hominis datum non esset, nunquam peccatum de
infidelitate contraheret. Quibus in locis disertis
verbis indicant, datam esse in prima naturæ
conditione, hoc enim vocant, naturaliter
posse credere, mentis valentiam, potestatem libe-
ram, posse, sufficientiam, sufficientissimam facultatem
ad credendum, ad cavendum peccati malo, ju-
stèque vivendum. Ne quis autem existimet,
hæc ita fortassis esse intelligenda, sicut quæ
libet.

libet creatura rationalis propter mentem dicitur remotè posse bene vivere ; multis alijs modis semetiplos declarant.

Secundò namque sapè dicunt, facultatem credendi ac diligendi Deum, adeoque bene vivendi, quam ante peccatum habebamus, jam amissam esse peccato, & non nisi gratiâ posse reparari : quod nullo pacto de mente rationali intelligi potest. Nam de potestate diligendi Dei sic Augustinus : Non est igitur gratia Dei in natura liberi arbitrii &c. quia & liberum arbitrium ad diligendum Deum prout peccati graduatè perdidimus. De facultate credendi Fulgentius : Hoc igitur in homine divinitus agitur, cuiusdem Deo infundit, ut gratia dono virtutem credendi natura recipiat, quam amisit. Et alibi de potestate cogitandi recta & sancta : Humano generi gratiam gratiam divina bonitas contulit &c. per quam cognitio sancta amissa iam pridem in homine primo per hominem secundum reciperetur facultas. Et rursum : Peccans ille, qui sine peccati necessitate creatus est, in eo quod anima sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi, quæ ad Deum pertinent, amisit prout facultatem. Si potestatem sancta cogitandi, credendi, diligendi, sub quibus omnibus iustè vivendi officia comprehenduntur, amisimus per peccatum, ante peccatum nos eam habuisse, necessarium est : neque enim amittitur, quod non habetur.

Tertiò, quia Augustinus disputans contra Pelagium, qui potestatem bene vivendi tribuebat nature, sapè indicat sententiam ejus fore veram : si natura adhuc esset in illa integritate, in qua primùm condita fuit : nunc autem, quia peccato vitiatam est, veram esse non posse. Cùm enim dixisset Pelagius : Ipsam non peccandi possibilitatem non tam in arbitri potestate, quam in natura necessitate esse, Respondet

Ait, naturam, quæ bona facta est,

*Nullis cum vitijs in quoquam omninò creari ;
Nec cuiquam primi culpam nocuisse parentis :
Et quoniam tales nascantur nunc quoque, qualis
Ille fuit nostri generis pater ante reatum :
P posse hominem sine peccato decurrere vitam,
Si velit : ut potuit nullo delinquere primus
Libertate sua.*

*Carm. de in-
grat. c. 9.*

*Lib. de nat.
& grat. c. 3.
Cap. 6.*

Cum ergò hunc scopum intuens Pelagius in libro de natura & gratia moralis contendere, naturam nunc similiter per se ipsam posse iustè vivere, seu legem implere, & non peccare si vellet, respondet Augustinus : Natura hominis primus incupata & sine ullo vitio creata est : Natura vero ista hominis, quæ uniusquique ex Adam nascitur, iam medico indiget, quia sana non est. Et paulò inferiùs Hoc secundum scripturas sapiamus, nempe naturam non esse integram, sed peccato vitiatam, non cognimus contra Christianam gratiam disputare, & ea herere, quibus demonstrare conemur, naturam humanam neque in parvulis medico indigere, quia sana est, & in maio-

Augustinus : Si iste, qui hanc librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primo incupata & salva condita est, nec unquam acciperetur hoc dictum : hoc est, tolerari posset ista sententia, tanquam vera : quod paulò antè etiam similitudine declaraverat. cùm enim dixisset Pelagius, Non peccandi possibilitatem, velimus, nolimus (hoc est inamissibiliter) instam esse natura, respondet ei similitudine : De homine sano pedibus tolerabiliter dici potest, velit, nolit, habet ambulandi possibilitatem : contractis verbò, si veli non habet : vitiatam est natura, de qua loquitur &c. quasi diceret, propter contractam vitium jam claudicat natura ; & non peccandi possibilitate, quam habuit, caret. Nam in istis locis nihil aliud in sententia Pelagij displicet Augustino, quam quod illam possibilitatem naturam inamissibiliter & inseparabiliter habuisse, contenderet. Illa enim causa est, cur non absolute ejus verba admitteret ; sed cum quadam diminutione, utcumque, tolerabiliter. Vnde illam inamissibilitatem utroque loco reprehendit.

Quartò, quia frequenter Augustinus adversus Pelagium docet ; si natura esset sana, quemadmodum primùm condita est, & mordicus Pelagius tuebatur, non opus esse, ut per Christi gratiam vires ad bene vivendum nature donarentur. Nempe, quia per se ipsam ad hoc sufficeret. Solum enim vitium peccato contractum causam esse, cur ad bene vivendum gratiæ Christi medicina requiratur. Nam ille erat scopus Pelagij in omnibus disputationibus suis, offendere naturam à primæva integritate non esse vitiatam : & idèò hominem nunc per se ipsum posse iustè vivere, sicut hoc Adam potuit. Declarat hunc scopum & argumentationem ejus Prosper :

ribus sibi ipsam ad iustitiam, si velit, posse sufficere. Apertissimè indicans eum, qui sanam & integram tuetur naturam, omninò cogi tollere Christi gratiam, tanquam nullo modo non solum ad peccati remissionem, sed nec ad iustitiæ impletionem necessariam. Et adhuc aliquanto post : Cervinisne quò tendat, & quò manus porrigat hæc disputatio? (Nempe de ista sanitate nature) ut omninò frustra dicitur putetur. Vocabis nomen eius I E S U M ; ipse enim salvum facit &c. Et adhuc multis interjectis : Melius Dei causa agitur, quam se iste agendo dicit defendere naturam, eum & creator & salvator agnoscat ; quam cùm defensa velut sana, vitibusque integri

creatura, opitulatione Salvatoris manetur. Vbi clarè A intelligendum offert, opitulationem sive gratiam Christi Salvatoris ex ista virium integritate convinci esse superfluum, utpotè quæ per vires illas primæ conditionis integras ad iustitiam sibi sufficeret. Et hinc est, quòd statim apertissimè sensum suum explicans, disertis verbis dicit: Verum est quod ait (Pelagius) quòd Deus tam bonus quam iustus, talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret, hoc est, ad implendam legem iustæque vivendum, ut Pelagius contendeat; neque enim aliter peccati malo carere potest. Rationem adiicit: Quis enim eum nescit sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad iustè vivendum potestate libera constitutum? Et quasi quereretur; quid ergò causæ est, cur nunc non similiter sibi ad iustè vivendum natura sufficiat? Respondet esse vitium: Sed non de illo agitur, qui gravibus faucibus confossusque vulneribus &c. Et rursus clarius id ipsum explicans, cum Pelagius dicit: Voluntate non est, quod natura potest, hoc

est, ex sola voluntate contingit, quòd homo non careat peccatis, aut iuste vivat; respondet ei Augustinus: Ego dico, voluntate quidem non est homo iustus, si natura potest; sed medicinà (id est gratià) poterit, quòd vitio non potest. Ex quo conflictu Pelagij & Augustini manifestum est, Augustinum læpius admittere, quòd vera esset sententia Pelagij, nec opus esset Christi gratià, quæ liberum roboraret & sanaret arbitrium, si vires primæ vas in conditione datas natura non perdidisset: quo sensu dicit idem Augustinus eandem sententiam Pelagianorum persequens: Sunt homines ingrati gratiæ, multum tribuentes mori saucioque nature, nempe quòd per vires suas iustè posset vivere: Verum est, magnas arbitrij liberi vires homo cum conderetur accepit: sed peccando amisit. Hinc Prosper similiter planè modo, etiam peccati remissionem per liberi arbitrij vires obtineri potuisse docet, si natura ut facta est post peccatum illata perstitisset.

Cap. 43.

ibid.

Carin. de in-
glat. c. 43.

Nam si nunc etiam illasus vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit, sua quemque voluntas
Conciliare Deo, pœnæque absolvere posset:
Nequicquam Christus mortem moriendo piaret:
Peccatum & mundi sanguis non tolletur agni:
Nec genus humanum generari rursus egeret
Conditione novâ. quoniam sapientia sana,
Sana fides, sanum arbitrium, mens libera morbo,
Vitam agerent dignam summorum participatu.

Nimirum, quia per illasus arbitrij vires, A tametsi peccasset. potuisset sicut ante lapere, credere, dolere de peccato, & ita remissionem adipisci, sine ulla medicina gratiæ Christi, quæ liberum arbitrium gemere & dolere, & credere faceret. Rem verò totam, ipsamque adeo Augustini Magistri sui sensum, sicut eum ex iterata toties in libris eius hac doctrina hauserat, brevissimè apertissimeque sine ulla ambiguitatis aut obscuritatis latebra complexus est idem Prosper, quando dicit: Neque hæc dona (ea videlicet, quæ sunt veræ sanctæque pietatis, habere, cogitare, dicere, agere) ita ex Deo esse opinemur, ut quia ipse natura nostra auctor est, per conditionem iam hæc contulisse videatur. Quia dedit quidem ab initio hæc beatissimæ facultatem: sed omnes iam in illo amisimus, in quo omnes peccavimus.

Ad capitula
Gat. Ref. 8

Hanc igitur doctrinam secutus autor li-
brorum ἑρωταγωγῶν, qui pœnè toti ex sensibus Augustini, aut discipulorum eius Prosperi & Fulgentij per textu sunt; omnia quæ paulò antè ex eorum scriptis deduximus, luculentissimè calculo suo confirmat. & illustrius explicat: Hinc est enim quòd possibilitatem bene vivendi sapè libertati naturali primi hominis tribuit. Nam statim initio libri tertij proponens hæreticorum sententiam, quòd homo per

Auter libro-
mum
ἀπογραφ.
lib. 3. c. 2.

liberum arbitrium, & per se sibi sufficeret implere, quod vellet, respondet: Neminem posse per se sibi, id est, per liberum arbitrium, implere quod velit rectè dicimus, nisi Protoplasto solè potuisset, cum voluntas liberi arbitrij fuisset sana eadem autè culpam. Et capite secundo: Ut liberum arbitrium cum possibilitatis bono, quo valeret implere, quod voluisset adam, factum intelligas, audi quid dicat Scriptura: Reliquit eum in manu consilij sui. Quid est autem, reliquit &c. nisi dimisit eum in possibilitate liberi arbitrij sui? In manu enim possibilitas intelligitur. Ipsa est prima gratia, qua primus homo stare potuisset, si servare mandata Domini voluisset. Et capite quarto: Arbitrium ideo liberum dicitur, quòd in sua possum sit potestate, habens agendi quòd velit possibilitatem. Sed huiusmodi, ut antè iam dictum fuit, fuit in homine protoplasto, cum ante peccatum maneret illæsus, qui semper, si Deo fuisset obediens, sufficere posset ad omne bonum, quod voluisset. Hinc est, quòd eandem illam possibilitatem peccato ejus perditam, sæpius iterat: 2 Domini præterijt a Lib 3. c. 12 præceptum, amisso possibilitatis bono; solum arbitrium ad velle potitus est vulneratum. b Per velle ergo malum, rectè perdidit posse bonum, qui per posse bonum, potuit vincere velle malum. Per peccatum ergo liberum arbitrium hominis possibilitatis bonum perdidit, non nomen & rationem. Diabolus humanum genu disponit & vulneravit, morum scilicet ornamentis, & bono.

VERITAS
LIBERTAS

Cap. 9. bono possibilitatis liberi arbitrij perduto. c. Quia etiam
 diu ostenditur & in ore illa perdit ex centum omni-
 bus nisi liberum arbitrium, possibilitatis bono, vicio
 primi hominis perduto, a iustitiam errasse consortio?
 Hinc docet, nos jam non posse implere quod
 volumus, quia libertas vitata est. Hoc ergo
 vulnere cum libero claudis anis arbitrio, nec implere
 nobis naturaliter sufficit posse bonum, quia iam, ut
 superius disputari, de natura vitata peccato, id est,
 de protoplas, is hominibus, quorum sumus & ipsi na-
 tura, in quibus vitata est libertas, homo voluntatis
 sana, perfecto videlicet libertatis arbitrio, quo sibi suffi-
 ciat, non potest exoriri. Hinc similiter lapsus tra-
 dit, Pelagij sententia futuram veram, & inani-
 ter Christi gratia predicari necessaria si natura
 illa se perditisset: Et conari, inquit, asserere,
 cum predicas hominem naturaliter posse quod velit,
 Christum nullum in eo vulnus, quod curaret, nullam
 infirmitatem inuenisse, quam gratia sua gratuita
 medicamento sanaret? &c. Quid enim opus erat Deo,
 si status integer natura maneret, humanam carnem
 suscipere nostram? Perge adhuc, hereticus, dic liberam
 arbitrium sic ex Adam susceptum, ut medicina Christi
 non indigens per se sibi sufficiat implere quod velit &c.
 Et gratia ingratis existens sanum te naturaliter pu-
 tas liberum arbitrium possidere? Si sanus est homo
 ut Adam a Deo primum fuerat institutus &c. Quae
 omnia magis perspicua sunt, quam ut aliquo
 indigeant commentario: quin potius, si quid
 obscurius Augustinus dixerit, luculentissimi
 Commentarij loco explicant.

22. 3. 1. 1.

22. 3. 1. 3.

Cap. 4.

Epist. ad
 Episc. Gall.
 1. 3.

Quamobrem cum Celestinus Pontifex, &
 Concilium Arafricanum intelligerent istam,
 quam ex Augustino tradidimus, etiam Catho-
 licae Ecclesiae doctrinam esse, eandem sacrorum
 Canonum auctoritate firmanunt. Nam Cele-
 stinus Gallos instruens, cum Catholicis credi
 ac dici iubet: In pravicatione Adae omnes homi-
 nes naturalem possibilitatem (nempe volendi, cogi-
 tandi, agendique recta &c.) & innocentiam
 perdidisse: & hoc ipsum sancti Papae Innocentij
 auctoritate confirmat. Concilium vero Arau-
 fricanum ejusdem doctrinae filium sequens, ut-
 pote quam plerumque verbo tenus ex Augu-
 stino sumpsit, paucis verbis universae haere-
 seos Pelagianae atque Semi-Pelagianae fibras
 excidit. Nam quemadmodum Pelagiani uni-
 versa salutis opera per illam naturalem arbitrij
 potestatem, quae integerrima per creationem
 data fuerat, fieri posse sentiebant, & ita non
 opus esse Christi gratia, cujus virtute fierent;
 sic Semi-Pelagiani sola bonorum operum ini-
 tia, fidem, orationem, & similia per eandem
 illam naturae potestatem effici posse credebant.
 Et isto sensu dicunt Canone quinto: Initium
 fidei naturaliter nobis messis; & Fidem, qua in Deum
 credimus, esse naturalem. Et Canone septimo:
 Nos per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad sa-
 lutem pertinet vita aeterna; cogitare ut expedit, aut
 eligere posse. Et Canone octavo: Aliquos per
 liberum arbitrium ad gratiam baptismi posse venire.
 Nam ista omnia eundem sensum habent. Quam
 suam sententiam ut haeretici firmiter stabili-
 rent, veluti basin subternebant id, quod ha-
 betur Canone primo; Animi libertatem illam du-

asse, per quam scilicet, saltem operum bono-
 rum initia fieri possent: quemadmodum olim,
 cum natura esset integra, profusus omnia per
 illam effici poterant. Haec ergo perspicaciter
 intelligens Concilium Arafricanum, & rem
 istam sciens esse impossibilem, non petit ullibi
 impossibilitatis istius rationem, ex natura ope-
 rum hujusmodi, quod supernaturalia sint; sed
 ex infirmitate, quae per peccatum in liberum
 arbitrium inducta est. Unde Canone octavo
 insert ex ea sententia Semi-Pelagianorum se-
 qui, Non omnium liberum arbitrium esse per pecca-
 tum primi hominis infirmatum. Nimirum, quia
 id quod ille poterat robustus & sanus, hoc
 etiam infirmis tribuebant. Quam sententiam
 & totius haeresis istius basin ut everteret, to-
 ties, tamque studiosè, contraactam illam liberi
 arbitrij infirmitatem praedicat & inculcat.
 Hinc est enim, quod Canone decimo tertio
 definit, Arbitrium voluntatis in primo homine esse
 infirmatum, & esse amissum. Et Canone vi-
 gesimo primo, Naturam per Adam esse perditam.
 Et Canone vigesimo quinto, ut plurimum de-
 finitionum praecedentium rationem & funda-
 mentum patefaceret, addunt: secundum anti-
 quorum Patrum definitiones (ubi certum est Au-
 gustinum & Prosperum respici, utpotè cum
 omnes penè Canones ipsissimis Augustini ver-
 bis, & ipsissimo ordine, quo à Prospero col-
 lecta fuerant, concepti & conditi sint) nos
 praedicare debere & credere, quod per peccatum
 primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit li-
 berum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum,
 sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter
 Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum &
 misericordiae divinae praeveniret. Et idcirco illam
 praecalam antiquorum Patrum fidem, non per
 bonum naturae, quod prius in Adam datum fuerat;
 sed per gratiam Dei fuisse collatum. Item quod latronis,
 Cornelij Centurionis, & Zachari admirabilem
 fidem non fuisse de natura; sed divina largitum do-
 num. Quo Canone, cum Concilium dicit,
 arbitrium ita fuisse inclinatum, & attenuatum,
 ut nullus postea possit diligere Deum, sicut
 oportuit, aut credere, aut operari &c. ma-
 nifestissime significat, antequam esset attenua-
 tum, potuisse ista per liberum arbitrium fieri,
 quae non poterant postea: Quae omnia doctri-
 nae Augustini & Prosperi, ex qua sumpta sunt,
 ad unguem consonant: & sicut ex ea lucem acci-
 piunt, ita illam immobili sua auctoritate
 confirmant.

Ex his igitur, quae haecenus diximus, per-
 spicuum est, superfluas esse hoc loco tot Scho-
 lasticorum distinctiones, quas doctrinam illam,
 quam non satis videntur penetrasse, subodo-
 rati & difficultatem ejus veriti, ad molliendam
 eam, sanoque sensu aptandam protulerunt.
 Nimis enim apertum est, non solum ex Augu-
 stini, & Concilij, & Pelagianorum, & Semi-
 Pelagianorum scopo, sed etiam ex ipsissimis
 eorum verbis, de fide, dilectione, ceterisque
 operibus agi supernaturalibus, adeoque salutis
 aeternae meritorijs: ut non sit opus laborem in
 ijs refutandis impendere, praesertim cum nul-
 lum ea-

113

lum earum distinctionum vestigiū in Concilio, aut Augustino reperire liceat. Sunt enim partus cogitationis humanæ de tuendis suis sententijs latagentis, quas doctrina sancti Augustini non satis intellexit & facile accommodare non poterant. Vnde detecto solo filo veritatis per se corrunt & evanescent. Quo verò pacto doctrina ista intelligi debeat, ne in divina gratia injuriam cedat, ex Augustini mente infra fufius explicabimus.

Vnum tantummodò hæc observandum est, illud naturalis possibilitatis nomen ex doctrina Pelagij in hanc materiam promanasse. Ipse enim inter primos, vel primus ista voce uti cœpit: Nec aliud per eam significare voluit,

A quàm naturalem potestatem seu facultatem liberi arbitrij. Quod alibi in explicandis Pelagij dogmatibus declaravimus, & ex libro de natura & gratia cap. 7. 10. 45. 47. 48. 52. Item ex libro de gratia Christi cap. 4. & 6. 14. & 16. manifestum est; quibus vox ista in eo sensu, & ipsis Pelagij verbis sepius repetitur. Vnde & Augustinus, qui antea nomen potestatis & facultatis tanquam latinus usurpare solitus fuit, etjam hæc voce in illo sensu, sicut & Prosper, & Concilium Araucanicum, uti cœpit, ut hæresis eadem velle, qua mundum intraverat, mundo excederet; & eodem sensu, quo veritatem conabatur adulterare, damnaretur.

Vide lib. 4.
& 5. de
Hæresi Pe-
lagij diversa
Pelagij loca,
& alibi.

CAPVT OCTAVVM.

Vtrum per vires liberi arbitrij in iustitia creationis potuerit perseverare.

QVID in hac questione sentiendum sit, ex ijs quæ superiori capite dicta sunt, satis superque liquet. Si enim per liberum arbitriū potuit in Deum credere, Deum diligere ut oportet, iuste vivere, non peccare, si vellet: potuit profectò & in iustitia perseverare. Qui enim iuste vivit, & non peccat, sine dubio perseverat. Ut tamen doctrina ista plenior sit, & apertius Augustini sensus de omnibus illis, quæ supra diximus, intelligatur & confirmetur, pauca de potestate perseverandi, & perseverantiâ in iustitia per liberum arbitriū adijcienda sunt. Hoc enim si ex scriptis ejus astrui potest, omnis scrupulus de superioribus evanescent; eò quòd perseverantiâ sine fide, dilectione, cæterisque iustitiæ supernaturalis operationibus obtineri nullo pacto queat.

A sine vitio si per liberum arbitriū manere voluisset, profectò sine ullo mortis & infelicitatis experimento acciperet illam merito huiusmodi per amissionem beatitudinis plenitudinem. Quid item sibi volunt illa? Ut autem vellet (permanere) in eius libero restituit arbitrio. Quid ista verò; Quæ quidem (merita sua) potuit habere, sed perdidit; & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitriū. Nam per merita, & non aliter, perseverantiâ ejus erat complenda. Quid aliud etjam illa non minus luculenta? Non autem ita esset, si natura humana per liberum arbitriū in quo statu primum condita est, persistisset. Nequis autem suspicaretur, sic eum potuisse perseverare per liberum arbitriū, quia etjam concursus ejus adesse debet; quemadmodum etjam de hominibus jam lapsis dicimus, quòd per liberum arbitriū, hoc est, eo concurrente perseverant, excludit hunc sensum expressis verbis Augustinus, quando dicit: Qui non insertus in

Lib. de dono tentationem, non discedit à Deo: non est hoc omnino perseverans. 7. in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt: fuerat in homine, antequam caderet. Ecce antithesim apertissimam inter vires hominis antequam caderet, & postquam cecidisset: quòd antè, per liberi arbitrij vires poterat non discedere à Deo, hoc est, permanere cum Deo; post lapsum verò non potest. Quam partem declarans luculentius, & per hoc vires hominis stantis, & tali auxilio non indigentis, inlinuans: Post casum autem hominis, inquit, non nisi ad gratiam suam Deus vult pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam vult pertinere ut homo non recedat ab eo. Quæ quamvis per se ipsa satis manifesta sunt, non parum tamen eis lucis accedit ex alijs ejus testimonijs, quibus docet, sicut nos etjam supra ex varijs locis ejus confirmavimus, Adam tale accepisse liberum arbitriū, ut bene velle posset, & male. Et rursus, tale liberum arbitriū ut posset non peccare, si vellet: quæ doctrina ipsi passim familiaris est. Vnde significare

Lib. de dono tentationem, non discedit à Deo: non est hoc omnino perseverans. 7.

non ibid.

Lib. de corrup. & grat. c. 14

Lib. de corrup. & grat. c. 10

lib. c. 10.

ficare volens, hoc privilegium ei præ lapsis hominibus ex liberi arbitrii viribus convenisse, si ait quodam loco: Potuit non peccare primus homo, potius non mori, potuit bonum non deserere, id est, perseverare in bono. Nunquid dicturi sumus, non potuit peccare, qui tale habebat liberum arbitrium? Et paulò post clarissimè istud voluntati & potestati tribuens: Prima ergò libertas voluntati erat posse non peccare; novissima, non posse peccare. Et alibi: Primum liberum arbitriū quod homini datum est, quando primum creatus est relictus, potuit non peccare, sed petiit & peccare. Vbi utrumque similiter potestati liberi arbitrii tribuit. Et paulò post: Servandi gradus erant divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset; novissimum, quo peccare non posset. Cujus doctrinæ sensus ex antithesi, quam sæpè tradit, fit illustrior: quòd jam videlicet non sit in homine tale liberum arbitrium, quod non peccare possit: sed istud jam peccato pressum per gratiam liberandum sit; sicut in eodem loco subjicit: Sed quia peccavit ista natura, cum peccare potuit, largiori gratià liberatur, id est, fit libera. De quo alibi plura dicturi sumus.

Doctrinam istam discipuli Augustini ad amissim quoque sectati sunt, & scriptis expresserunt suis. Inter quos fuit in primis sanctus Prosper: qui cum adversus Gallos traderet, nunc post lapsum hominis esse donum gratiæ Desper alius singulos adjuvantis, quòd rectè vivimus, in primo homine per naturam hoc haberi potuisse docet: Neque hac dona ita ex Deo esse opinemur, ut quia ipse natura nostra auctor est, per conditionem iam hæc contulisse videatur: QVIA DEDIT QUIDEM AB INITIO HANC HOMINI FACULTATEM, SED OMNES IN ILLO AMISSIMVS, IN QVO OMNES PECCAVIMVS. Ecce data est homini ab initio hæc facultas bene vivendi per bonum creationis naturæ, sive per liberum arbitrium, cum quo conditus fuit; sed illa nunc peccato perijt. Nunc enim non possumus per facultatem naturalem, sive per liberum arbitrium bene vivere, quod ex primæ institutionis felicitate poteramus. Et in libro adversus Collatorem, cum Cassianus diceret, credendum non esse, quòd ita sit conditus homo, ut nec velit unquam nec possit bonum: alioqui nec liberum ei permisset arbitrium; hoc est, alioqui non dedisset ei Deus liberum arbitrium: Respondet Prosper, hominem olim potuisse per liberum arbitrium perseverare, si vellet; nunc non posse: Rectum atque omni vitio carentem creatum esse hominem primum, in quo omnium hominum concreata natura est, dubitare fas non est: eumque tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem sibi Dominum non desereret, possit in bonis, quæ naturaliter accipiat, perseverare, quia vellet; & merito voluntaria perseverantia in eam beatitudinem pervenire, ut nec vellet decidere in deteriora, nec posset: SED IPSO LIBERO ARBITRIO, QVO QVAMDIU VOLVIT LIBERO MANSIT, à proposita sibi lege defecit. Hoc est, antea poterat per liberum arbitrium perseverare, si vellet, vel quia vellet, & per ipsum, quamdiu voluit, bo-

nus mansit: nunc postquam defecit, id ipsum nequaquam potest. Quod enim (ut adijcit) peccato lapsus est, si id lapsus non est, unde peccatum est? Illa itaque causa est, quòd nullo modo idoneus est ad illud bonum eligendum, & concupiscendum, quo se sponte privavit. In quibus omnibus ad amissim exprimit præceptoris sui Augustini doctrinam, qua sub finem vitæ suæ dixit: Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc perierunt. Fuit in homine, antequam caderet. Itaque alio in loco sancti Augustini sensibus hærens, ille ipse sanctus Prosper de primis hominibus dicit: Ut qui posse non mori acceperant in natura, non posse mori consequerentur in gloria. Nempe quia in natura, seu in viribus liberi arbitrii naturalibus, acceperant posse non peccare, ideoque posse non mori. Et de sanctis Angelis in libro præcedente: E contrario voluntatis sanctorum Angelorum fuit, quòd malis sponte cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt.

Petrus Diaconus ejusdem doctrinæ filium tenuit quando suam profitendo fidem dicit: Credimus bonum, & sine ulla carnis impugnatione à Deo creatore omnium factum Adam, ita ut & bonum facere in propria facultate haberet, & malum, si vellet, posset administrare. Hoc est enim ipsissimum illud quod Augustinus tradidit, hominem primum ita liberum fuisse, ut & bene velle posset & male, & per liberum arbitrium potuisset stare sicut & cadere. Quam libertatem nunc amissam esse ibidem tradit.

Sanctus Fulgentius Augustini itidem discipulus ejusdem doctrinæ semitam trivit, quando dicit Deum homini ad habendam custodendamque iustitiam integrum sanumque creasse libertatis arbitrium. Nam hoc nihil est aliud, quàm ei dedisse tam integrum, sanum, robustumque liberum arbitrium, ut per illud, seu per conceatas ei vires posset iustitiam custodire, si vellet. Nam ideo in eodem libro dicit: posse credere in conditione primi hominis datum esse quæ viciatà credendi possibilitatem, nunc à Deo sperandam esse, postendamque.

Sanctus Gregorius diversis in locis eundem Augustini sensum luculentis verbis expressit, ut in libro quinto Moralium: Mirè autem omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam, sed mutabilem condidit, ut & qui permanere nolent, ruerent, & qui in conditione perseverarent, tanto in eâ iam dignius, quanto ex ARBITRIO starent, & eo maioris apud Deum meriti fierent, quo mutabilitatis suæ motum voluntarij statione fixissent. Et ejusdem operis libro vigesimo quinto: Ipsi quoque Angelici Spiritus mutabiles ex natura sunt conditi, quatenus aut sua sponte caderent, aut ex ARBITRIO STARENT. Et homilia septima in Ezechielem: Et natura Angelica, quando creata est, liberum arbitrium accepit, utrum vellet in humilitate perseverare, & in omnipotentis Dei conspectu permanere; an ad superbiam laboraretur: & à beatitudine caderet &c. Quod Augustinus dixerat, ita liberum fuisse, ut & bene velle posset, & malè: quòd verò Gregorius bis ter vè dicit, Angelos mutabiles fuisse, ut aut sponte caderent, aut ex ARBITRIO STARENT; hoc

Augustinus dicit per liberum arbitrium fieri potuisse.

Quidam igitur testimoniorum huiusmodi claritate convicti ad distinctiones fugiunt, existimantes juxta doctrinam Augustini, hominem primum, vel Angelos per liberum arbitrium quidem perseverare potuisse; non tamen actu perseverasse. Distinguunt enim auxilia necessaria ad potestatem perseverandi, & ad actum perseverandi. Sed huiusmodi non tam distinctionem, quam illusionem doctrinae hae perspicuis verbis prevenit Augustinus. De actu enim, non de potestate loquitur, quando dicit, non solum de Angelis reprobus, quod per liberum arbitrium à Domino Deo resurgat facti sunt: sed simili planè modo de bonis: *Ceteri autem per ipsam liberam arbitrii in veritate steterunt.* De actu, non de potestate loquitur, quando dicit: *Sicut steterunt Angeli sancti* (sic videlicet etiam homo facere potuit) *qui cadentibus alijs per liberum arbitrium per idem liberum arbitrium steterant ipsi.* Quo utroque in loco ne quis nodos in scirpo quaereret cum dixisset Angelos quosdam per liberum arbitrium cecidisse, non sine magna Emphasi adiecit: *per ipsam, per idem liberum arbitrium alios perstitisse.* Nec verò iterum de potestate perseverandi tantum, sed de actu loquitur, quando de Angelis dicit: *Quae tamen libertas voluntatis in illius primae conditionis praesentia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt.* Nempe per illam libertatem voluntatis. Quo loco videtur Augustinus de industria iusse sollicitus, ut huiusmodi distinctiones post tot saecula emerituras excluderet. Nam cum dixisset, quod non discedere à Deo, hoc est, perseverare cum Deo, fuisset in hominibus (id est in hominis potestate, & libero arbitrio) *antequam caderet*: ne quis sensum ejus pervertendo diceret, hoc fortassis de potestate verum esse, non de actu, statim explicat, & experimento probat istius efficaciam potestatis, quod per eam non potestate sola, sed re ipsa, & actu in veritate steterunt: per quam liberi arbitrij potestatem, hominem lapsum jam stare non posse tradiderat. Itaque exsertis verbis Prosper ad amissim Augustino concinens, de malis & bonis Angelis omnino pariter dicit: *Si quidem pravagationis eorum fuit, quod irrevocabiler iudicij animadversione percussi sunt &c. sicut e contrario voluntatis sanctorum Angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus ipsi in sua dignitate manserunt.* Nempe pariter aequabili lege utrumque ad cardinem voluntatis discretionem illa efficiens refert. Quid ad hanc responderi potest, nisi anticipatae opinionis amor pugnaces nervos adversus constantiam perspicuae doctrinae Augustini, & sensus ejus intendat? Nam si rationem indagare velimus, cur Deus

A tale liberum arbitrium condidisset; hae ipsa maxime postulat, ut per vires inditae illius felicisque libertatis posset non peccare, posset bonum non deserere, posset perseverare, sicut & non perseverare, si vellet. Tertis est enim Augustinus, Deum Angelicam humanamque creaturam condendo illum habuisse peculiaris scopum, ut antequam coronaret, vel damnaret, vel à damnatione per gratiam liberaret, experiretur quibus viribus liberum arbitrium adhuc sanum integrumque polleret. Quod sanè nullo modo experiri potuit, vel experimento alijs demonstrari si perseverantia in bono, iam tum illis per gratiam dari debuit; aut si non aliud liberum arbitrium etiam integrum potuit quàm ex bono cadere, & à veritate deficere. Sic enim potius non tam potestatem ejus, quàm imbecillitatem declarasset, sicut post lapsum istud manifeste liquet. Sic ergo loquitur Augustinus. *Quapropter saluberrime consistimus, quod rectissime credimus, Deum Dominumque rerum omnium sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quod posset eorum liberum arbitrium: nempe sive stando in veritate, sive cadendo: Deinde quid posset suae gratiae beneficium liberando, iustitiaeque iudicium damnando, vel coronando.* Unde & paulò post per illam primae conditionis gratiam dicit conformiter demonstratam esse etiam potentiam liberi arbitrij: hae autem potentiae demonstratio, hoc est, quàm robusta & valida fuerit illa primae potestas libertatis ad permanendum cum Deo, quamvis in Adamo perseverantiam abrupte non eluxerit, in Angelis tamen per experimentum consecuta est, sicut ex ipso jam antè demonstratum est, quando dixit: *Qua libertas voluntatis in illius primae conditionis praesentia, quantum valuerit, id est, quàm valida, seu quanti roboris fuerit, apparuit in Angelis; qui diabolo cum suis cadente in veritate steterunt.* Observatio-
C ne verò dignissima est illa asseverandi constantia, quae Augustinus usus est, cum illam doctrinam traderet, quam ex ipso paulò antè de illa liberi arbitrij magna potestate protulimus. Nam dicendo: *saluberrime consistimus, quod rectissime credimus,* ad Apostolicam phrasim allusum voluit, qua dixit ad Romanos: *Corda creduntur ad iustitiam; ore autem sit confessio ad salutem:* nobisque significare verbis Apostolicis, se non Chrylippaeas aliquas Chimeras, vel incerta speculationis humanae somnia, sed Catholicam doctrinam tradere, in cuius fide esset constituta iustitia, & in confessione salus. Quod quàmvis nobis merito sufficere deberet, nihil tamen oberit veritati, si etiam rationes, cur arbitrium in illa prima conditionis integritate tanta polleret fortitudine, quantum Deus adjuverit, indagemus.

CAPVT

Lib. de corr. r. p. & grat. c. 10. Cap. 11.

Lib. de dono p. r. c. 7.

Lib. de verita. comp. c. 3.

Lib. de corr. r. p. & grat. c. 10.

Cap. 11.

Lib. de dono p. r. c. 7.

LIB. DE COR. R. P. & GRAT. C. 10. CAP. 11.

CAPVT NONVM.

Afferuntur rationes, cur tantæ fuerint vires liberi arbitrij in statu innocentiae.

ATQUE illæ quidem, ejusdem sanctissimi Doctoris vestigijs insilendo, non difficulter occurrunt. Vera enim & unica ratio est, *sanctus* voluntatis ejus.

Sanitatis enim comes individua est fortitudo; ægritudinis imbecillitas. Causam istam toties Augustinus attingit & indicavit, quoties primum hominem inculpabilem, rectum, sine vitio, & sanum esse prædicavit; cujusmodi loca multa supra suis locis allegavimus. Hanc itaque sanitatem cum quodam loco prædicasset, mox commendans profluentem inde liberi arbitrij fortitudinem, qua viribus suis recte

Vide supra cap. 1.

Lib. de correptione & gratia. 12

operari poterat: Fortissimo, inquit, dimisit atque permisit facere quod vellet: in, *virum se vivit*, ut ipso donante invictissime quod bonum est vellet, & hoc deserere invictissime nollent; apertissimis verbis nunc gratiæ dono perseverandi potestatem, tunc fortissimis viribus sanæ libertatis assignans. Et ista omnino ratio est, cur passim Augustinus, *sanitatem* assignet veluti originem causamque libertatis, & consequenter potestatis. Nam infirmitas contracta peccato maxime læsit libertatem, ut mox dicturi sumus. Hinc ergo quodam loco excusationes hominum excludens de neglecta justitia: An dicturus es, inquit, volo, sed non valeo? Quare non valet? quia sanitas non est. Et alibi ordinem recuperandarum virtutum indicans: Per gratiam

Serm. 4. de verb. Apost. cap. 8.

De spirit. & list. v. 30

Epist. 89. ad Hilarium.

Lib. de pecc. orig. cap. 25.

Lib. de incar. & grat. cap. 13.

sanatio anima, abolitione peccati: per animam sanantem liberatus arbitrij. Et iterum: *si ac voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior*. Quem causalitatis ordinem spectabat etiam, quando dixit: Erant & legis tempore homines Dei sub gratia delectante, sanante, liberante: sanitatem indicans asserre liberationem. Et aptissime discipulus Augustini sanctus Fulgentius: Peccans ille, qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quod animam sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi, que ad Deum pertinent, amisit protinus facultatem. Sed quia sanitas voluntatis, seu integritas primæ libertatis plura in se complectitur; paulò latius vis nominis istius deducenda est, ut clarius possit vera radix tam robustæ libertatis intelligi. Quapropter duo omnino sunt, quæ sanitas illa primi hominis, quantum hoc ad libertatem arbitrij refert, in se continebat. Vnum est, quod liberum arbitrium esset in gratia, hoc est, in bona voluntate, sive in amore creatoris sui conditum atque ita omni prorsus peccato carens: quemadmodum supra latè ex Augustino traditum est. Peculiaris est enim Augustini ac discipulorum ejus phrasis, adeoque Concilij Arausiacani, quod pœnè totum ex verbis ejus, totum verò omnino ex ejus doctrina contextum est, ut sub libertate naturali & possibilitate naturali ipsaque naturâ totum

istud comprehendatur, quod naturæ in ipsa prima conditione collatum est, etiam ipsa rectitudo voluntatis, qua sine vitio & culpa ad hærebat Deo. Sic enim loquitur dimicans cum Manicheis: *Sic etiam ipsam naturam aliter dicunt, cum proprie loquimur, naturam hominis, in qua primum in suo genere inculpabilis factus est: aliter ipsam, in qua ex illius damnati pena & mortales, & carni subditi nascimur*. Ecce naturam præprie vocandam dicit, quatenus inculpabilis condita est: quod tamen ei supernaturalia illa dona contulerunt. Et alibi expressius, cum dixisset, nullum esse malum naturale: *Pessur, ed. inquit, querere similem latram, nisi hoc dicitur ad naturam talem referatur, qualis sine vitio primitus condita est. Ipsa enim verè, ac proprie natura hominis dicitur. Translato autem verbo utitur, ut naturam dicamus, etiam quasi nascitur homo*. Nempe cum peccato & penis ejus, ut ibidem exponit. De quo sensu & acceptione longè luculentius dixit alibi: *Cum vitium creatura Angelica dicitur, quod non adhaeret Deo, hinc apertissime declaratur, eius natura, ut Deo adhaeret, convenire*. Iuxta istam ergo naturæ acceptionem, Augustinus cum discipulis, & Concilium Arausiacanum loquitur, quando tantam naturalem libertatem, vel possibilitatem, vel vires naturales arbitrij libertati tribuunt. Ipsum enim amorem Dei, quo liberum fulgebat & ardebat arbitrium, seu, ut nos loquimur, ipsam gratiam habitualem, simul sub natura intelligebant. Hæc ergo una ratio tantæ fortitudinis fuit, quæ in lapsis hominibus desideratur: his enim vel iste amor deest, & infirmissimum arbitrium sub peccato jacet; vel si eis jam justitia, hoc est, amor Dei voluntati restitutus est, ille ipse languidus, remissus, infirmus est, & usque ad finem vitæ debet crescere, cum non nisi paulatim juxta præstitutum divinitus ordinem, amor Dei plenus, hoc est justitia perfecta reparatur. Ex quo efficitur, ut amor ille imperfectus etiam consequenter infirmus sit, ad terrenos affectus, cupiditatesque superandas: imò ut necesse sit, ipsam arbitrium etiam amore sanctificatum laborare atque conari, ut idem ille amoris Dei affectus possit crescere. Sola tamen ista pars & ratio sanitatis non sufficit ad conferendas tantas libero arbitrio vires. Altera igitur est, eaque præcipua, & quæ maxime ad libertatis naturam & robur complendum facit; quod sanitas illa primæ conditionis esset hujusmodi, ut omnibus affectibus terrenis, hoc est, omnibus concupiscentijs, seu carnalibus cupiditatibus, & ignorantia vacaret: Ex quo fiebat, ut nihil justitiæ implendæ hominem lateret, & volenti perseverare, nihil, ut Augustinus loquitur,

*Lib. de cor-
rupt. & grat.
c. 12.*

concupiscentialiter resistere, quemadmodum su-
pra late demonstravimus. Nam ista duo igno-
rancia & concupiscentia gravissima primi peccati
poena sunt, & cum status illius integritate
nulla possunt ratione consistere. De quibus
infra luse differendum est. Hic ergo beatissi-
mus erat liberi arbitrij status, quod in anima
esset cum summa lucis serenitate magna tran-
quillitas, & in voluntate consequenter sum-
ma potestas, & bene vivendi facilitas. Om-
nia enim erant serena pacataque intus & foris.
Appetitus arbitrio voluntatis, corpus appe-
titui, ad nutum arbitrij subdebatur; cum
nihil in corpore, nihil in appetitu, nihil vo-
luntati in ipsa voluntate repugnaret. Ita scie-
bat, quidquid ad recte vivendum scire oportebat,
carebat omnibus quae volebat; habebat,
& poterat omnia quae volebat; quia nihil
indecenter placebat, aut displicebat. Tanta
autem facilitate valebat, ut hoc ei esset per
arbitrium posse, quod velle. Quod enim nunc
multa non solum in corpore & extra corpus
posita, sed maxime in ipso animo (de quo nos
loquimur) per liberum arbitrium volumus,
quae non possumus, hoc inde nascitur, quod
vel appetitus voluntati, vel ipsa volun-
tas resistat sibi. Legem enim peccati habet non
solum in carne, sed in ipsa quoque voluntate,
quae ipsi volenti ita reluctatur, ut nisi magno
conatu velit, non plene velit, ideoque nec possit.
Vnde Augustinus de ista nostri arbitrij
miseria: *Nec mirandum est, inquit, quod vel igno-
rando non habeat (homo) jam lapsus) arbitrium
liberum voluntatis ad eligendum, quid recte faciat
vel resistente carnali consuetudine videat, quid recte
faciendum sit, & velit, nec possit implere.* Et hanc
miseriam docet per magnam gratiam Christi
nunc debere superari; quae antea non erat in-
tegris viribus necessaria: hinc alibi: *Tantum
quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum (qui
jam lapsi sunt) ut ideo possint, quia sic volunt; ideo
sic volunt, quia Deus operatur, ut velint.* Nam si
eorum arbitrium suis viribus relinqueretur,
nec Deus jam operaretur, non solum ut vel-
lent, sicut in multis facit, sed etiam ut fortiter
velent, inter tot & tantas internas resistentium
cupiditatum tentationes, voluntas ipsa, ut idem
ait, succumberet, & ideo perseverare non possent, quia
deficientes infirmitate nec velent, aut non ita velent
infirmis ut voluntatis, ut possent. Affectus enim in
eis affectum imposit, & ipsa divisione volun-
tatis eam infirmam facit. Sed haec primi pec-
cati poena fuit, quae detracta tanta volendi fuit
facilitas, quanta nunc movendi pedem, vel
manum, quanta optandi, quanta nunc vel
sola velleitate appetendi, quanta cogitandi:
quandoquidem nihil intus aut foris in anima
aut corpore reliquum esset, quo ille retarda-
retur motus. Haec ergo summa arbitrij seu vo-
luntatis libertas fuit; quae ab omni omnino
captivante, sibi que dominante, aut ullo mo-
do concupiscentialiter resistenti affectu libe-
rum, sui erat penitus juris, sui arbitriatus,
suae potestatis, nulli omnino vel levissima
cupiditati seu rei creatae desiderio serviens

A praeterquam soli Deo. Ex quo necessario orie-
batur, ut cum jam haberet habitualementem volun-
tatem amoris Dei, hoc est, habituale proposi-
tum amandi Dei, quod enim creatione datum
fuerat, etiam actu tanta facilitate vellet, ut
hoc ei esset velle, quod posse; hoc non pec-
care, quod nolle; hoc re ipsa cum Deo per-
sistere; quod velle persistere. Nihil enim aliud
ei vel superandum, vel impellendum erat, ad
hoc ut vellet, quam ille supremum voluntatis
apex, cui velle vel nolle, consentire vel non
consentire ipso nutu datum est: usque adeo
ut ipse levissimus voluntatis nutus, quo in
hanc vel in illam partem flectitur, hoc ei esset
velle; & hoc ipsum velle jam erat posse; ut
cui nihil reluctaretur intus concupiscentialiter,
quo voluntas illa sursum ac deorsum in
diversa raperetur: sed hoc ipso quo volebat,
integra erat atque tota, quam propterea vo-
lentem mox effectus re ipsa sequebatur. Do-
cuit hoc praclare perspicacissimus discipulus
Augustini Prosper: *Non eo, inquit, modo iam
possumus peccato resistere, sicut ille (Adamus) po-
tuit, cui nihil fuit non peccare, quam
NOLLE. Nobis autem irreprehensibiliter vivere velle
non sufficit, nisi ipsum velle nostrum, quod langu-
da passibilitate desit, divina virtus adjuverit: quod
illum ad non peccandum etiam vivere poterat adhuc
sana natura; nos iam impedit vitiosa: & illi
peccare fecit sola peccandi voluntas; nos etiam co-
git plerumque peccati iam facta necessitas. Vbi per
necessitatem intelligit Scripturae & Augustini
phrasi concupiscentiam illam vitiosam, quae, ut in-
tra dicit, peccato facta est, & resistit conatibus no-
stris bonis.*

Ex hac igitur miseria nostra, & peccati
poena, quam intus patimur, contingit no-
bis, ut animus etiam justus imperet sibi ut
opus justum velit, nec imperaret nisi vellet,
nec tamen id quod imperat, fiat: nimirum,
quia resistente carnali desiderio non ex toto
vult, ideoque nec ex toto imperat. Nam
in tantum imperat, in quantum vult; & in
tantum non fit quod imperat, in quantum
non vult: quoniam voluntas imperat, ut fit
voluntas, nec alia, sed ipsa: sed non uti-
que plena imperat; ideoque non fit etiam
id quod imperat. Nam si plena esset, nec
imperaret quidem ut esset, quia jam esset.
Tunc autem hoc ipso quo imperabat, ut ju-
stitiam vellet, jam plena imperabat; quia ni-
hil imperantem a se ipsa discerpebat, ut quem-
admodum nunc fieri ingemiscimus, ex
parte iustitiam vellet, & ex parte nollet.
Monstrositas enim illa, qua nunc superbia
nostra contunditur, non est natura, sed ut
Augustinus ait, & ex illo Prosper, *egritudo
anmi; quia non totus assurgit veritate subleva-
tus, consuetudine praegravatus. Et ideo sunt dua
voluntates, quia una carum tota non est: & hoc
adeo alteri, quod desit alteri. Quae voluntatis
egritudo & laceratio si sanitate tolleretur,
ut totus voluntatis impetus in unum coi-
ret, sicut in Adamo factum fuerat, jam hoc
ipso quo voluntas imperat, tota imperaret,
& integrè*

*Lib. 3. de vi-
ta contem-
p. c. 2.*

*Lib. de cor-
rupt. & grat.
c. 12.*

Ibid.

*Lib. 8. confes-
s. 8. Prosp.
sent. 178.*

& integrè & fortiter imperaret, nec amplius A arbitrium semisaucium hac atque illac versaret iactaretque voluntatem, nec pateretur partem ejus allurgentem cum alia parte cadente luctantem. Unde quemadmodum nunc animus imperat, ut moveatur manus, & tanta facilitas est, ut vix à seruitio discernatur imperium: ita longè majore facilitate liberum arbitrium hominis & Angelorum sibi, ut non peccare, hoc est, cum Deo permanere vellet, imperabat, & cum ipso nutu motus voluntatis, ipsaque cum Deo perseverantia sequebatur. Et ista præcipua radix est, cur Augustinus toties extremam illam benè vivendi facilitatem in illa primæ conditionis præstantia commendare solet ut supra vidimus, quia nihil sanè voluntati, ne vellet, aut ne plenè vellet obsisteret. Ex qua mirabili, nobisque inexperta felicissimæ sanitatis facilitate, etiam gravitatem primi peccati plerumque petit, ut B suo loco demonstrandum est.

Hanc igitur utramque, quam tetigimus, radicem tantæ fortitudinis primæque libertatis, habitualement videlicet voluntatis gratiam, & omnis infirmitatis concupiscentialis absentiam simul eodem loco tangit, & insinuatam voluit Augustinus. Cum enim dixisset: *Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bona perseverantiam primus homo; sed perseverare vel non perseverare in eius relinqueretur arbitrio; statim divina illa verba subiicit, quæ superioris doctrinæ, quam ex ipso dedimus, rationem continent: Tales vires habebat eius voluntas, quæ sine illo fuerat infirma peccato, & nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tanta bonitati, & benè vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium. Clarissimè namque, & præclarissimè quicquid superioribus tribus capitibus de facilitate benè vivendi, de potestate perseverandi, per voluntatis, seu liberi arbitrii vires, deque causis ejus habituali voluntatis bonitate & cupiditatum vacuitate resistentium, ex ipso diximus, admirabili brevitate & gravitate complexus est. Perpicuè quippe duabus illis sententijs dicit, primum*

*Et de cor-
rept. & grat
c. 12.*

hominem non accepisse hoc perseverantiæ donum, sed in ejus arbitrio esse relictum: perpicuè dicit, voluntati ejus, non gratiæ, perseverandi, hoc est, semper constanterque justè vivendi arbitrium esse commissum: perpicuè dicit, dignè, id est, jure & merito rem tantam ex arbitrio voluntatis suspensam fuisse: perpicuè dicit, causam istius tantæ privilegijs esse tales vires voluntatis. Nec minus perpicuè causas exprimit: primam, quod sine illo fuerat infirma peccato; ecce habitualement voluntatis amorem, & justitiam: alteram, quod nihil ipsi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat; ecce concupiscentialis infirmitatis absentiam. Et ne quis formolentior brevissima verba amplissimo sensu grava minus expenderet, easdem causas repetit manifestius, dum eas vocat, tantam bonitatem, & benè vivendi facilitatem, bonitatem ad habitualement gratiam sanctitatis referens; benè vivendi facilitatem ad concupiscentiam resistentem vacuitatem. Quorum utrumque, quia lapsu hominis primæque illa dona corumpente, sublatum est, hinc etiam à viribus arbitrii nostri tanta illa benè vivendi & perseverandi potestas avolvit. Quod non minus luculenta verborum perpicuitate & auctoritate subjungit, ne quis forte illa superiora ejus verba sic intelligeret, quasi eo sensu tantum perseverantiam istius hominis arbitrio commisit, quod sine libero arbitrio concurrente haberi non posset: Nunc vero, inquit, postquam est illa magna peccati merito amissa libertas, cui videlicet, quemadmodum dixerat, propter tales vires perseverandi committeretur arbitrium, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas. Manifestè significans donâ illa adjuvantis gratiæ Christi in locum istius libertatis magnè successisse; ut quod stante homine per libertatis istius magnitudinem præstari potuit, id infirmitati lapsi fractique hominis per gratiæ adjutorium, amissâ jam illâ libertate, donaretur. Et hæc de libertatis illius congenitæ viribus satis: nunc tempus est, ut ad gratiam Dei asserendam accingamur.

*Et de cor-
rept. & grat
c. 12.*

CAPVT DE QIMVM.

An indiguerint Adam & Angeli adjutorio gratiæ ad justè vivendum, & perseverandum in justitia.

IA si dudum enim lectorem mihi videre videor demirantem, quod ille celeberrimus gratiæ prædicator, & humanæ superbix debellator, tantæ doctrinæ luce, & rerum rationumque inter se coherentium nexu, vires innocentis istius libertatis asseruerit, ut hoc unicum anxie timuisse videatur, ne quis adjuvanti gratiæ relinqueretur locus: quod cum sit nefas de illo credere,

me forsitan suspiciabuntur ita doctrinam ejus aliquâ industria subtilitate concinnasse, ut totum penè negotium perseverantiæ salutisque consequendæ naturalis libertatis viribus commisisse videatur. Sed si paulisper, quemadmodum veritas cum veritate pacem tenet, ita ipsi in pertractanda innocentis naturæ & adjuvantis gratiæ conciliatione patientiam teneat, perpicuè ipsâ Dei gratiâ me adjuvante, patefa-

patet, quod neque vires istæ liberi arbitrii, quas sine ullo verborum aut industria fūco ex ejus scriptis ac mente, quantā potuimus sinceritate declaravimus, obnubilant gratiam; neque gratiæ necessitas imbecillitatem istius libertatis arguat, aut quicquam eorum, quæ hæcenus sunt declarata, subvertat. Absit enim, absit, ut divini gratiæ amator sincerissimus, & necessitatis ejus assertor fidelissimus, ita sibi sumpserit ancillæ patrocinium, ut dominæ læserit adjuviorium.

Quapropter quemadmodum in præcedentibus Augustinum fidentissimè confirmantem audivimus, Sanctos Angelos per liberum arbitrium in veritate stetit, & primum hominem per idem liberum arbitrium in ea stare potuisse, quod post lapsum hominibus non nisi per gratiam conferendum est: ita nunc vice versa, juxta doctrinam ab eo traditam, & juxta fidem Catholicam ab eo explicatam dicimus, neque Angelos, neque primum hominem ullo modo sine gratiæ juvantis adjuviorio in veritate stare, hoc est, in accepta justitia perseverare potuisse. Veritatem istam tot modis, sive naturam & nomen gratiæ, sive effectus, & operandi modos spectes, asseruit, tantaque contentione inculcavit Augustinus, ut non minus pro salvanda divini gratiæ necessitate ad tuendam justitiam status innocentiam, quam ad illam perditam reparandam pro tuendo Iesu Salvatoris auxilio sollicitus fuisse, ac decertasse videatur. Nam in primis, si rationem gratiæ desideramus, expressit illam, eum, postquam Adamo per meritum conferendam esse docuisset immortalitatem, quo meriti nomine gratiam exclusisse videbatur; statim quasi corrigendo adjecit: *Quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset; quod ex liberi arbitrii insufficientia ad bonum provenire declarat.* Et cum ex professo illam sibi proposuisset quaestionem occasione meriti, cujus similiter mentionem fecerat; *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? perspicue, & sine ulla ambiguitate respondit: Imo verò habuit magnam, sed disparem.* Quod cum generaliùs dictum de quavis gratia etiam sanctificationis accipi potuisset, declarat postea se etiam de gratia ad operandum necessaria intelligere: *Sane habuit, inquit, gratiam, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua, etiam cum libero arbitrio, bonus esse non posset.* Et paulò post: *Nec ipsum ergo Deum voluit esse sine gratia.* Et iterum: *Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam &c. nec illa quidem parva erat, quæ demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii.*

Quod si verò effectus divini gratiæ, sive Dei per gratiam auxiliantis creaturæ suæ, velimus attendere, & expendere, plerosque deprehendemus non minus Angelis & homini quamdiu stetit, quam postea ejus jam lapsis, Deum, juxta Augustini doctrinam, opitulatione gratiæ suæ contulisse. Nam in primis non minimus est effectus gratiæ, quod per

A illam creaturam operantem regit: de quo sic loquitur Augustinus: *Creatus est rectus, non se serm. 12. fecit rectum: Quid se autem ipse fecerit, notum est; verb. Apost. cadens a manu sigiti, fractus est. Rogabat enim eum ipse qui fecerat; vultu deserere a quo factus erat: permisit Deus, tanquam dicens: Deserat me, & inveniat se, & miseriam suam probeat, quia nihil potest sine me.* Et quamvis regimen generaliter etiam de præcepto possit intelligi, juxta illud Augustini: *Sic enim munerans libero arbitrio, ut tamen eum regeret imperio, terreret exitio: hic tamen internum illud regimen, quod gratiæ proprium est intelligi debet, duabus de causis: primò quidem, quia Deus illud regimen homini eum deserere volenti subtraxisse indicatur; ut experientia probaret homo, se nihil posse sine Deo. Regimen autem imperij tantum abest, ut homini deserenti subtrahat Deus, ut potius propter imperium illud, hoc est, legem non subtractam prævaricando reus fiat. Sed aliud internum divini gratiæ regimen superbientibus subduci solet, & ita permitti, ut creatura creatorum deserat. Secundo, quia cum de regimine Augustinus loquitur, quod hominibus Deus tribuit, ne se deserant, vel subtrahit, ut ab eis superbendo deseratur, veram internamque gratiam intelligere solet. Nam cum de solo hominum regimine scripsisset Pelagius: *Omnis voluntas propria regi, & suo deservio unumquemque dimitti, vehementer adversus illam exaruit sententiam Augustinus, & veræ gratiæ adjuvantis necessitatem negatam esse conclusit.* Hinc cum magnificos effectus rectoris gratiæ recensuisset, adjecit: *Præstat hoc Deus illis, quos subditor regi; non autem illis qui se idoneos ad se ipsos regendos putant, & prædicti cervicæ propria voluntati ipsam designantur habere rectorem.* Et aliquanto superius: *Hoc enim spiritu, nempe sapientiæ, quæ maximè voluntatem afficit, non viribus propria voluntatis reguntur, & aguntur filij Dei. Et inferius: Filij Dei, qui hoc novimus, & se Dei Spiritu regi & agi gratulantur, quo modo moveri poterunt, cum audierint, vel legerint à Pelagio scriptum, omnes voluntate propria regi, nempe sicut etiam Adam à se regi voluisse, nonnunquam Augustinus docet, & suo desiderio unumquemque dimitti.* Quapropter id quod supra Adamo Dei regimen deserenti contigisse scripserat, hoc idem talibus Dei regimen detrectantibus, ipsidem pœnè verbis asserit, videlicet, *ut sibi regendi dimittantur, ut sine rectore Deo præcipitanti, non se à seipso regi potuisse, penitus experiantur.* Et alibi per illud regimen effici scribit, *ne in peccata prorueamus: Protegit nos, quia Deus est, ne moriamur; regit nos, quia rex est, ne cadamus. Regendo autem non frangit nos; nam quos non regit, frangit.**

D Sed præter regimen illud, quod gratiæ proprium est, alios non paulò expressiores effectus gratiam Adamo contulisse declarat. Quid enim apertius, quam operari hominem, eumque custodire, ne peccando injustus fiat. De quo effectu sic Augustinus: *Deus idem qui*

In Enchir. 1. 106.

In decor. esp. & grat. 1. 11.

Lib. de gift. Pelag. c. 3.

Ibid.

In finem Psalms. 144.

creat hominem, ut homo sit, ipse operatur hominem, atque custodit, ut etiam bonus beatusque sit. De homine primo loquitur ut verborum illorum sensum excuspat: *Vi operaretur & custodiret illum, videlicet Deus Adamum, sicut hoc Augustinus explicat. Unde in eundem sensum adjicit: Quia locutione dicitur homo operari terram, que iam terra erat, ut ornata atque fecunda sit: Ea locutione dicitur Deum operari hominem, qui iam homo erat, ut pius sapiensque sit, eumque custodire: quod homo sua potestate in se (potius) quam illius supra se delictatus, dominationemque eius contemnens, tutus esse non possit. De ista custodia sapius etiam alibi mentionem facit: Quapropter, inquit, etiam primum hominem Deus in ea salute, in qua conditus erat, custodire voluisset, si ad permanentiam &c. Cujus divinæ custodiæ effectus declarans, alio in loco Augustinus, ad omnes tentationum victorias obtinendas valere demonstrat. Sed sensum magistri sui luculentissimis verbis Fulgentius nobis aperuit. Cum enim docuisset, naturam Angelicam sua non suffecisse stabilitati, experimento rem declarans: Suis autem, inquit, ad custodiam sibi sat esse viribus non incongrue crederetur, si nulla pars eius (in demonibus) in deterius laboraretur. Ex quo demonum infelici casu, ut adjicit paulo post, profecto cognoscitur, uniformi cunctos opprimi potuisse ruina consortio, nisi quos vellet a casu pravitate virtus illa defenderet, qua sola naturaliter mutari depravarique non possit. Et continuo adhuc apertius Dei operantis virtutem inculcans: Non alia stantem, ait, Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa, qua lapsam hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata; in hoc ut surgeret, in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur; ab hoc infirmitatem re-*

pulit, illum infirmari non sivit; illius esca, istius medicina.

Sed nullus evidentior divinæ gratiæ effectus est, quam quòd, velut auxilium ad opera bona tanquam fructus justitiæ proferendos destinatum, operantem juvet ac roboret. De quo sapientissimè & instantissimè sanctissimus ille Vindex gratiæ locutus est. Quid enim isto loco clarius? Sic factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset, non sine adiutorio divino. Quid isto evidentius? Est peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum; non tamen iustitia retinende sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adiutorium præberetur. Et rursum: *Vi ab eo teneretur vita iustitia, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adjuvaret.* Quid isto luculentius? *Dederat & adiutorium, Deumque sine quo in ea (bona voluntate) non posset permanere, si vellet.* Quid isto accuratius? *Sic erat institutus (homo) ut si de adiutorio Dei fideret, bonus homo malum angelum vinceret: si autem creaturam atque adiutorem Deum superbe sibi placendo desereret, vinceretur: meritum bonum habens in adiuta divinitus voluntate reicta.* Ex quo factum est, ut tanquam proprio & solemnè titulo Deum voluntatem bonarum adiutorem appellaverit. Sed quid pluribus? Hujusmodi pro gratiæ veritate, & in statu etiam innocentie necessitate, testimonia ita in operibus Augustini crebra sunt, ut quicumque illam sibi vel labefactandam, vel negandam, vel etiam in dubium revocandam exillimaret, ut à quibusdam factum fuit, eorum pondere & multitudine non minus quàm Ecclesiæ auctoritate obrui posset. Hoc enim tanquam Catholice fidei dogma credidit, & expresso canone credendum sanxit antiquitas, ut paulo post dicturi sumus.

C A P V T X I.

Vtrum ad singulos actus bonos gratia necessaria fuerit: & quæ radix tantæ necessitatis.

NEc verò ad perseverandum tantummodo in iustitia, ut quidam arbitrantur, sed ad singulas etiam voluntates bonas, seu opera bona, seu tentationum victorias, per quas fit ut quis in iustitia perseveret, Angelis & hominibus istam gratiam necessariam esse, eadem prorsus asseverantiâ Augustinus docuit. Quod ipsum non uno certè loco in scriptis ejus videre licet.

Nam quod istud mirum fortasse cuiquam recentiorum scriptorum videatur, hoc inde fit, quia sicut in alijs partim jam ostendimus, partim in multis adhuc ostensuri sumus, doctrinas Augustini certissimas, & usitatissimas ejus phrasas longè alio plerumque sensu accipiunt, quam eas Augustinus usurpaverit. Ex quo fieri necesse est, ut nisi quis, ex diligenti, & assidua librorum omnium lectione, spiritali, doctrinæ, & phrasibus ejus non rarò ex-

A litterarum sacrarum textu haustis familiaris fuerit, in alienissimas ab ejus mente sententias præcipitur: quas tamen ipsius esse vel dubitare nefas esse putet. Idem recentioribus plerisque & hoc loco contigit. Cum enim audiunt gratiæ necessitatem ad perseverandum ab ipso prædicari, hoc ita accipiunt, quemadmodum videntur ista verba resonare, nimirum fieri non posse, ut quis justam vitam perducatur ad finem, nisi gratiâ suâ Deus subinde opituletur, mutabilitatem arbitrij adversus graviore tentationes confirmando in bono. Itaque putant isti gratiæ nullum fieri præjudicium, etiam si aliquamdiu sine eius vivatur adiutorio, & aliquos actus ex arbitrij jam semel sanctificati libertate operetur. Sed longè alius Augustini sensus est: per hoc enim ipse significare vult, post fidem jam ex Dei gratia susceptam, non posse hominem in bono progredi, neque tantillum in eo persistere, boni

129

boni aliquid agendo, vel tentationem superando, quin ab eadem gratia foveatur, & adjuveretur. Quod quidem statum lapsi hominis respiciendo suo loco fusc declarabitur. Hic unus aut alter sufficit locus. Nam in libro de dono perseverantiae istud ex professo agens:

Cap. 6. *Tutores igitur vivimus, inquit, si totum Deo demus. Non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Et mox: *Nihil nobis reliquit, in quo tantum in nostro gloriamur. Sed quidem & ut non disculamur a Deo, non ostendit dandum esse nisi a Deo.* Cujusmodi testimonijs totus poene liber plenus est.

Cap. 7. *Idem vero etiam, cum de stantis hominis perseverantia in bono loquitur, August. sensus est: non enim hoc tantum vult indicatum, adjuutorio gratiae ad complectendam totam perseverantiam opus esse, ne scilicet aliquando graviore quapiam tentatione solum abrumptur: sed ad singula opera quibus in bono persistitur, singularique tentationes vincendas, gratiam fuisse necessariam. Quod sane ex multis Augustini locis & attestacionibus manifestum est, ubi non ad totam Adami perseverantiam, sed ad singularia eius opera requirit divinae gratiae adjuutorium, tanquam omnino necessarium. Nam imprimis in libris de Civitate Dei, victoriam hominis cum diabolo in paradiso luctantis similiter gratia tribuendam fuisse docet: quae tamen victoria tentationis non tota Adami perseverantia, sed unicum tantum brevissimi temporis fuisse opus: Sic erat institutus, inquit, ut si de adiutorio Dei fideret, videret homo in alium angelum vinceret. Et de singulari illa diaboli suasionem: Cum in natura habere posse, & in potestate habeat velle, & non consentire suadenti, adjuvante tamen illo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Idcirco enim in illo primo testimonio illi singulari operi bono, etiam meriti rationem tribuit; quod non in tota perseverantia, sed in singulis operibus spectandum est: licet & malum meritum deserti Dei, singulare opus perveriae voluntatis fuit. Vnde etiam in Enchiridionem ad Laurentium cum dixisset hominem in illa voluntate, non sine adiutorio Dei manere potuisse; permanenciam illam non pro tota perseverantia explicat, sed pro electo tunc tantum modo permanendi cum Deo: ut utrumlibet, inquit, horum (rectum manere vel perverum fieri) elegerit, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certe de illo. Cum enim Angeli brevissimo tempore, & unico forsitan actu tantum in donata sibi divinitus rectitudine via steterint: quis audeat dicere, eos ad unicum illud opus adjuutorio non eguisse divino? Quod si illi indigerint, nulla profectio ratio est; cur homo tantundem in iustitia permanens, sine Dei auxilio permanere diceretur. Nonne hoc esset non habere in illis actibus rectorem Deum, sed suo committi arbitrio, quod tantopere supra Augustinum detestantem audivimus? Nonne hoc ipsum esset non fideri de adiutorio Dei & sine adiutorio Dei tentantem vincere? Et tamen non aliter Augustinus victoriam tribuit, quam si de adiutorio Dei fideret.*

^A Quamvis ex alio quoque capite manifestum sit, nec unius quidem tentationis victoriam, vel unius bonae voluntatis motum sine illo gratiae adjuutorio fieri potuisse. Nam juxta doctrinam sancti Doctoris hujus, omniumque quantum arbitror, confessionem, indubitatum est, nullum meritum Adami habere potuisse sine gratiae adjuutorio. Nam & illi, quos supra tantopere exorbitasse diximus, ut sine gratia non peccari potuisse dicerent, meritum tamen nequaquam ei sine gratia auli sunt attribuire. De quo Augustinus ita praemittit: *Hanc (immortalitatem) est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum. Sed cum videretur, ne ex illa antithesi gratiae & meriti, suspicaretur aliquis merita tunc sine gratia haberi potuisse, attexit illico: Quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset. Quid evidentius ab Augustino postulari potest? Meritum enim, ut omnibus in confesso est, indivicuum & singulare est opus: quod non tantum simpliciter sine gratia; sed nec ullum quidem sine gratia esse potuisse testatur. Quam doctrinam adhuc expressius tradit alibi: Cum enim dixisset, ut si de adiutorio Dei fideret, nempe ad vincendum Angelum malum, a quo tentatus & oppugnatus fuit, bonus homo malum Angelum vinceret; quorum utrumque & fideri, & Angelum vincere, singulare & indivicuum opus fuit, mox subiungit: Meritum bonum habens in adiuta divinitus voluntate recta. Ecce ipsam fidendi vincendique voluntatem meritum vocat, ipsam etiam divinitus adjutam, de quo tota nostra disceptatio est, expressis verbis confitetur. Et ne quis adhuc contentiosior alio peispiua ejus verba torqueret, hoc ipsum cautissime praemunivit: Quia & ipse non considerare de adiutorio Dei non quidem possit sine adiutorio Dei. Ecce expressa sententia est, non est ubi lector hareat, non est ulla ambiguitatis latebra, qua sanctissimi Doctoris sensus posset abscondi.*

In Enchirid. c. 106.

Lib. 14. de Civit. c. 27.

^B Nec tamen unico illo loco quamvis aperitissimo mentem suam declarasse contentus fuit. Nam quodcumque bonas voluntates adjuvari dicit, non aliud significatum voluit. Augustino quippe peculiaris ista phrasia est, ut id, quod nos volitionem dicimus, ex latinissimorum autorum usu voluntatem vocet, ut alibi nobis ostendendum est. Hinc est enim, quod voluntatem bonam hominis & Angelorum supra sepius non aliud, quam Dei amorem esse, exposuit. Hinc est, quod mox audivimus, meritum in adiuta divinitus voluntate recta. Hinc est, quod Deum bonarum voluntatum, id est, volitionum adiutorem & remuneratorem dicit. Hinc est, quod alibi, loco voluntatis, ipsum velle & non consentire suadenti, adjuvari dicit: Non multum videtur, inquit, magne laudis futuram fuisse hominem, si propterea posset bene vivere, quia nemo male vivere suaderet: cum in natura posse, & in potestate haberet velle, & non consentire suadenti, adjuvante tamen illo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Ecce qui toties voluntates adjuvari docuit,

^C *Idcirco enim in illo primo testimonio illi singulari operi bono, etiam meriti rationem tribuit; quod non in tota perseverantia, sed in singulis operibus spectandum est: licet & malum meritum deserti Dei, singulare opus perveriae voluntatis fuit. Vnde etiam in Enchiridionem ad Laurentium cum dixisset hominem in illa voluntate, non sine adiutorio Dei manere potuisse; permanenciam illam non pro tota perseverantia explicat, sed pro electo tunc tantum modo permanendi cum Deo: ut utrumlibet, inquit, horum (rectum manere vel perverum fieri) elegerit, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certe de illo. Cum enim Angeli brevissimo tempore, & unico forsitan actu tantum in donata sibi divinitus rectitudine via steterint: quis audeat dicere, eos ad unicum illud opus adjuutorio non eguisse divino? Quod si illi indigerint, nulla profectio ratio est; cur homo tantundem in iustitia permanens, sine Dei auxilio permanere diceretur. Nonne hoc esset non habere in illis actibus rectorem Deum, sed suo committi arbitrio, quod tantopere supra Augustinum detestantem audivimus? Nonne hoc ipsum esset non fideri de adiutorio Dei & sine adiutorio Dei tentantem vincere? Et tamen non aliter Augustinus victoriam tribuit, quam si de adiutorio Dei fideret.*

12 de Civit. c. 9.

14 de Civit. c. 7.

Ibid. c. 26.

Lib. 11. de Genes. ad lit. c. 49.

JUSTINVS
BENI

docuit, nunc ipsum velle, neque quodlibet velle, sed velle & non consentire suadenti, adjuvandum per gratiam scribit: quam Adamo humiliter fidenti de divino adiutorio indicat fuisse largiendam: qui sane singularis & individuus voluntatis hinc & nunc tentatae actus fuit.

Ex quo sane principio etiam illa celeberrima fluxit sententia, quam non minus de Angelorum, quam hominum innocentium scripsit adiutorio: *Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere si vellet, non utique suam culpam cecidissent. Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Nam si sine illo Dei adiutorio casus fuisset inculpabilis, ergo sine illo Dei adiutorio, ne momento quidem uno, quo voluntatis nutus tētationi tribuendus erat vel negandus, persistere poterant. Quod inde manifestum est, quia si sine illo non solum tota vita perseverare, sed vel ipso oblata tētationis aut suasionis momento manere potuissent, profecto non sine sua culpa cecidissent. Robur enim naturae velut adiutorium quoddam naturaliter inditum assuisset voluntati, quo adjuvi sine ullo alio gratiae adiutorio manere potuissent. Qui autem vel ad unum momentum cum Deo manere tentatus potest, si illa potestas ei ex naturae robore, siue ex gratiae adiutorio praesto sit, indubitatum est, si tētationi vel suasioni cedit, non sine culpa cedere. Sicut enim Augustinus culpam cadentium merito excusat, quia *adiutorium Dei defuisset, sine quo manere non possent*: ita ratio & immutabilis veritas culpam cadentium merito acculat; quia *adiutorium per naturam assuisset, eum quo manere potuissent.* Quanto enim adiutorium istud naturale permanendi magis esset suum, & à nemine extra se penderet, tanto & culpa cadendi magis esset sua. Ista porro divini adiutorij ad singulos bonos actus & motus necessitatem etiam in statu innocentiae multo evidentius pernoscesmus, si causam ejus inspererimus. Non enim illam ex peculiari perseverantiae difficultate Augustinus & sectatores ejus petunt, ut Recentiores nonnulli solent, sed ex altiori ratione ipsius actus boni, ad quem creata natura sine gratiae auxilio nihil potest. Quam istius impotentiae radicem nonnunquam Augustinus tetigit. Nam ex profecto de generali illa adjuvantis gratiae necessitate, etiam in innocentiae statu disputans, cum dixisset: *Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio*; tacentiam lectoris admirationem & interrogationem, cur per integerrimas illas arbitrij vires permanere non posset bonus, praecipuando ita respondet: *Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit: ad bonum autem nihil est, nisi adiuvetur ab omnipotenti bono.* Nimirum ratio datur, cur permanere non possit bonus, hoc est, cur perseveranter bene operari non possit sine divino adiutorio; quia nihil ad bonum potest sine adiutorio omnipotentis boni: quod sicut est

immutabile bonum; ita nulla potest infirmitate à sua bonitate deficere. Quae sane ratio non perseverandi tantum, sed ipsam bene quomodolibet operandi basin attingit, & omnis omnino naturalis arbitrij nervos ad opera bona, siue omnia, siue singula, funditus à radice succidit. Quod etiam ex ipsa antithesi mali & boni illustrius patet. Nam quasi quaereretur, ad quid ergo sufficit liberum arbitrium sine gratiae adiutorio, si ad bonum nihil est nisi divinitus adjuvetur? non responderet, Ad aliquos actus bonos valet; sed, Ad malum sufficit: quasi dicat, ad solum malum suis viribus sufficit; ad bonum nihil omnino, nisi alienis viribus adiutum, potest. Qui sensus ejus, quamvis sua se claritate satis superque manifestet, ex alijs tamen locis ejus ipsaque doctrinae constantia multum ei lucis accedit. Nam quasi locum istum sibi clarius exponendum suscepisset, ita de ipsdem primi hominis viribus loquitur, Pelagianos impetens de suis viribus ad bona opera gloriantes: *Odit Deus praesumptores de viribus suis.* Odit ergo & in singulis actibus praesumentes de viribus suis: praesumptio enim in singulis actibus erumpere solet, & in singulari tētationis actu superando, tam in Angelis, quam in homine primo ipsa sese exeruit. Hoc ergo iuncto humilitatis fundamento subijcit: *Quid enim valeat liberum arbitrium non adjuvatum, in ipso ad im demum statum est, cum scilicet peccando deficeret.* Et quasi quaereretur, quid est ergo ad quod liberum arbitrium non adjuvatum valet, & ad quod non valet? Ad malum sufficit sibi, ad bonum non nisi adiuvetur à Deo. Primus enim ille homo accepit liberum arbitrium rectum, & posuit Deus ante eum, sicut Scriptura dicit, *ignem & aquam; ad quod volueris, porrige manum.* Elegit ignem &c. Quam doctrinam sibi familiarissimam, & aptissimam ad frangendam Pelagij praesumptionem de viribus suis in singulis actibus praesumentem, etiam alibi crebrius profert: *Queris, inquit, quid valeat ad malum liberum arbitrium? Recole hominem peccantem. Queris, quid valeat ad auxiliium Deus, & homo? Ariende in eo gratiam liberantem. Nasquam potuit sic ostendi, quantum valeat voluntas hominis usurpata per superbiam ad vitandum sine adiutorio Dei malum* (Sic logo atque distinguo, quia alioquin, ut nunc legitur, nullus est sensus) *non potuit plus & manifestius exprimi, quam in homine primo.* Ecce quid valeat ad vitandum malum; videlicet unicam illam extrinsecus solo verbo pulsantem hinc & nunc tēntationem, sine adiutorio Dei vitare non potuit: quanto minus in sempiternae & spiritualissimae istius lucis dilectionem ex toto corde consurgere, de quo nobis praecipue disputatio. Non enim ibi, & in similibus jam citatis locis de tota perseverantia primi hominis Augustino sermo est, sed de unica illa electione, qua inter Deum ac diabolum constitutus serpenti credidit, Deumque contempsit. Quod ipse Augustinus de eodem omnino argumento disputando declarat: *Ut subderetur diabolo seductus, sicut in eius libero arbitrio, quo ad inferiora declinavit.*

De corrup.
& grat.
c. 12.

De corrup.
& grat.
c. 12.

Ibid.

Dei
Cant. m.
cap. 4.

Serm. 2. h.
verb. 1. h.
cap. 1.

Serm. 2. h.
verb. 1. h.
cap. 1.

133

declinando; superiora deseruit, & aurem praeiit
serpenti, aurem clausit ad Deum: atque constitutus
inter praeceptorem & seductorem, magis seductori,
quam praeceptori obtemperare elegit. De auxilio
verò ad praeceptum Dei & sanitatem suam cu-
stodiendam necessario, statim adiicit: Deus
medicus opus etiam sanis, ut sanis ipsa teneatur;
videlicet, ne cuiuslibet praecepti transgressione
perdatur.

Hinc est igitur, quod plerumque generalè regu-
la illa in bonis & malis, tam de homine primo,
quam cæteris omnibus tradit: quòd ad pec-
candum Dei auxilio non sit opus; ad bene fa-
ciendum nemo sufficiat sibi: Homo, inquit, in

in Exh. 106.

paradiso ad se occidendum, relinquendo iustitiam ido-
neus erat per voluntatem: ut autem ab eo teneatur
vita iustitia, parum erat velle, nisi ille qui eum fece-
rat, adiuuaret. Et doctrinalem alibi genera-
lemque regulam figit: Ad peccandum non adiuua-
mur à Deo: nisi autem agere, vel iustitia praeceptum

lib. de po-
nit. c. 5.

omni ex parte implere non possumus, nisi adiuuemur à
Deo. Et ut intelligeremus istam creatæ volun-
tatis impotentiam non ex aliqua boni operis
difficultate, cuius peccatum causa fuerit; sed
potius ex naturali ad bonum fragilitate proce-
dere, rem perpulchra explicat similitudine:

Sicut enim corporis oculus non adiuuatur à luce, ut
ab eadem luce clausus aversusque discedat; ut autem
videat, adiuuatur ab ea, neque hoc omnino nisi ille ad-
iuuerit, potest; ita Deus, qui lux est homini in terro-
ris, adiuuat nostram mentis obtutum, ut non secundum
nostram, sed secundam eius iustitiam boni aliquid ope-
remur. Vbi revera nihil aliud inculcat illa si-
militudine, quam id quod de Adamo disputa-
ns generaliter dixerat: Liberum arbitrium ad
malum sufficit: ad bonum nihil est, nisi adiuvetur ab
omnipotenti bono, hoc est, ab aeterna luce bonita-
tis atque iustitiæ. Quam lucis similitudinem,
quam vis per se manifestum sit, in omni huma-
næ naturæ statu habere locum, ne quis fomno-

lib. de nat.
et grat. c. 10.

lentior de sola lapsa natura jam peccato vul-
nerata intelligendam esse putet, sic eam alibi
perficat: Sicut enim oculus corporis plenissime sanus,
nisi candore lucis adiutus, non potest cernere: sic homo
etiam perfectissime iustificatus, nisi aeterna luce iusti-
tiae divinitus adiuvetur, velle non potest vivere. Vbi
homo plenissime sanus intelligitur ille, qui
nullam peccati contraxit & gritudinem. Quod
de homine primo se potissimum intelligere,

A paulò post declarat in eodem opere, ubi dicit:
Si de integra & sana hominis natura loqueretur, Cap. 48.

quam modo non habemus, nec sic rectè diceret, quod
non peccare (quod Augustino ibidem & Pela-
gio prorsus est idem, quod iuste vivere, rectè-
que operari, ut ante cap. 26. dixerat) nostrum
tantummodo sit, quamvis peccare nostrum esset: Nam
& ibi esset adiutorium Dei, & tanquam lumen oculis
sanis, quo adiuti vident, se praeberè volentibus. Tra-
ctat eandem similitudinem multis alijs locis,
constanter semper asserens: nihil omnino posse
humanam animam quod ad iustitiam attinet,
nisi divinæ luce iustitiæ adjuvetur. Quæ sanè
omnia manifestè convincunt, nec ullum qui-
dem opus veræ iustitiæ per solum liberum ar-
bitrium sine gratiæ auxilio posse perfici. Lu-
men enim cuius comparatione Pelagianos li-
beri arbitrij inflatores refutare nititur, ita ocu-
lis sanis necessarium est, ut nec unus quidem
oculorum intuitus sine eius auxilio fieri queat
sed illo extrinsecus non adjuvante, non solum
in videndo perseverare nequeamus, sed nihil
omnino vel ullo actu cernere, verum tantum-
modo in tenebris remanere. Quæ sanè causa
est ut etiam in celo, ubi Deus ipse in claritate
videndus est, auxilium istud, si rogaretur Au-
gustinus, necessarium esse fateretur. Hoc enim
locus iste, quem paulò antè ex capite vigesimo
sexto libri de natura & gratia allegavimus ex
Augustini mente convincit. Plenissime quippe
sanis nunquam erimus, nisi in beata illa visione
constituti. Quod si cui fortassis ista doctrina
mira videatur, sciat ille, cum de iusta vita de-
que perseverantia in iustitia, Augustino sermo
est, nihil esse, juxta doctrinam ejus bonum, ad
quod liberum arbitrium per seipsum nihil pos-
sit, nisi illud bonum, quod supra sapius, & in
scriptis suis passim vocat voluntatem bonam, hoc
est, veram sinceramque dilectionem seu chari-
tatem Dei: cuius actus ita rationalis creaturæ
potestatem superat, ut sine aeternæ lucis auxi-
lio juxta doctrinam ejus, non possit fieri.

Quicquid præterea alij bonum nominant, hu-
manum, non divinum, philosophicum, non
Christianum Augustino bonum est: cuius pro-
pterea nullam putat in materia de virtutibus
& iustitia habendam esse rationem. Qua de re
sufius & ex professio suis locis disserendum
erit.

CAPVT XII.

Proponitur, & differtur difficultas, de concilianda tanta liberi arbi-
trij potestate cum tanta gratiæ necessitate. Quale fuerit
illud Adæ & Angelorum adiutorium, quantum
ad substantiam, an gratia habitualis,
concurfus communis &c.

CVM igitur, juxta doctrinam Augu-
stini in superioribus duobus capitibus
traditam, perspicuum sit, non modo
non perseverantiam in bono, sed nec
nullum omnino meritum, aut opus bonum, quo

A in iustitia & innocentia sanctitate persistitur,
sine Dei adiutorio ab hominibus aut Angelis
haberi potuisse, merito fortassis jam dudum
suspensus lector hæret, quid sibi velit ista tra-
ditæ ex Augustino doctrinæ inconstantia, ut
F 4

*Lb. de dono
persev. c. 7*

nunc ita extollat naturales integræ libertatis vires, ut non modò perseverandi potestatem, sed & ipsam in bono perseverantiam eis, non gratiæ adjutorio incunctanter tribuat: Nunc ita vicissim eas deprimat, ut nihil omninò sine gratiæ adjutorio, nisi peccare posse, fateatur. Rursum nunc dicat, fuisse constitutum in libero arbitrio primi hominis, non discedere à Deo, quod jam post lapsum fieri debet per gratiam Dei: Nunc vice versa primum hominem dicat, non potuisse nisi discedere à Deo sine gratia Dei. Difficultas ista ita fatigavit omnes Recentiores, torsitque scriptores, qui Augustini doctrinam se in scriptis suis vel sequi, vel quoquo modo, eam tibi non adversari, declarare voluerunt, ut eos rei mole superatos & oppressos esse, sine temeritate dicere posse videar. Non defuerunt eis vel acurissima ingenia vel disputandi solertia, vel accurata Philosophiæ, vel Scholasticæ Theologiæ disciplina; sed avidum assiduumque pernoscendæ Augustinianæ doctrinæ studium: quod humana vitæ angustia non ad omnia sufficiente, alij potius disciplinis, ut putabant, utilioribus, & alijs autoribus brevitate & methodi solertiâ se commendantibus, quàm uni vastissimorum operum scriptori totâ penè vitâ volutando impendere maluerunt. Nec enim unius diei aut anni est ista persectatio, vel semel aut iterum repetitæ lectiois omnium librorum ejus; sed vitæ penè totius opus, ut singula loca hic illic sparsa ponderentur, prima cum medijs, media cum extremis conferantur, & ex omnium tandem collisione, scriptoris omnium rectè arbitrantium judicio doctissimi profundissimique sensus eruatur. Qua in re utrum aliquid profecerim, nihil ausim hic asserere: aliorum istud judicium fuerit. Vnum dūtaxat non temere mihi dicere posse videor, si fortè in indaganda sanctissimi Doctoris mente, in ista difficultate & alijs aberraverim, diligentiam certè mihi diuturnam, crebramque lectionem non defuisse, quam in plerisque scriptoribus nostri temporis magnopere desidero: dum eos tam graviter in rebus capitalibus ex hoc auctore indagandis, allerendis, vel negandis, hallucinari video, ut pro Augustini assertionibus, nonnunquam Pelagij pronuntiata capiant; pro decisionibus disputationes Augustini; pro placitis dubitationes ejus; denique certissima doctrinæ ejus capita, quibus hæresis Pelagij olim universa prostrata fuit, rursus in dubium revocando, in tenebris palpare & Andabatarum more obvoluitis oculis de ejus mente dimicare videantur. A quo malo, in rebus tanti ponderis, nos ille liberet, in cujus manu sunt, & nos & sermones nostri, sine cujus adjutorio nihil possumus. Sed ut ad propositum à digressionem revertamur, difficultatem istam, quæ ad multas alias aperiendas quasi clavis est, & doctrinæ de gratia ab Augustino traditæ basis, alij aliter hîc explicandam censerunt, prout unicuique magis appolite ad doctrinam suam, quam de Dei gratia vel excogitaverat, vel tuendam sum-

A pferat, accommodari posse videbatur. Ex quo factum est, ut res ista tenebris magis implicata, quàm explicata manserit. Quapropter, ut quantum Deus conatus nostros adjuverit, id quod res est, & genuinam Augustini mentem ex diligenti scriptorum ejus collisione promam, nullo sententiæ anticipatæ præjudicio corruptus, utpote quam in hac re per annos aliquot vel nullam, vel contrariam Augustino tenui; nonnulla adhuc necessariò de istius jam sæpè dicti adjutorij qualitate atque cooperatione ex Augustino præmittenda sunt, ut ita quid sibi in istis duobus doctrinæ supra dictæ capitibus, se, ut videtur, hostiliter intermentibus velit, aptius, quasi re ipsa ultro sese pandente, facilliquè capiatur.

Itaque cum nonnulli Recentiores animadvertissent, gratiæ adjutorium ex Augustini mente fuisse omninò etiam Adamo stanti, & Angelis necessarium, tot testimoniorum passim occurrentium grandine excitati, utpotè minus altè dormientes, quàm illi, quos diximus solas liberi arbitrij vires prædicasse, illud adjutorium, vel in sola *habituali gratia* collocarunt, vel certè partim in ipsa gratia habituali, partim in illo communi concursu cooperationis Dei, alij simpliciter communem influxum, seu motionem Dei, videlicet operi supernaturali proportionatum; alij auxilium, seu gratiam concomitantem vocant: ut illo ulitato gratiæ concomitantis nomine aliquid amplius ei tribuisse videantur. Sed quemadmodum certum est, veræ gratiæ adjutorium Adamo & Angelis fuisse necessarium, juxta Augustini & Ecclesiæ doctrinam; ita similiter certum est, illud adjutorium ab habituali gratia & cooperatione illa communi, seu gratia concomitante sic exposita, distinctum esse.

Hoc autem primò perspicuum est Augustini sermo adversus Pelagianos disputantis, propter quos distinctionem illam inter gratiam hominis stantis & lapsi, sani & vulnerati, tradere coactus fuit, ut quid Salvator nobis contulisset præsidij, quo Adamus & integra natura caruit, intelligerent. Cum illis autem nunquam ulla de gratia habituali vel cooperatione Dei, libertatis sive naturalis sive supernaturalis influxu accommodatâ; sed tantum de actualibus auxilijs causæ vires per modum principij roborantibus disceptatio fuit.

Secundò, quia Pelagiani gratiam habitua-

lem admiserunt, ut ex eorum scriptis fuisse me declaratum est. Tertio, quia plerumque tum alibi, tum hîc præcipuè, ubi de perseverandi adjutorio tractatur, de auxilio jam habentium habitua-

*Lb. de
Christi
Vide
4. de
Pelag.
c. 10*

*Lb. de
Biblia
Lb. 2. c.
grat. c. 10
Lb. de
Lb. de
Lb. de*

*Vide
sup.*

*Lb. de
Crisp.*

*Vide
Lb. de
Lb. 2. c.
grat. c. 10
Lb. de
Lb. 2.*

*Vide
Lb. de
Lb. 2. c.
grat. c. 10
Lb. de
Lb. 2.*

137

habituum; seu consuetudinum, ut per eas ^A diendi hominem id ipsum probat. Quis enim unquam somniavit Deum custodire gratiam habituales per ipsam gratiam habituales? Cum hoc revera non esset aliud, quam hominem iustum custodire semetipsum; quod tam disertis verbis Augustinus sapiens, & Concilium Arausicanum negat. Huiusmodi loca etiam capite decimo non pauca citavimus, quibus asserbat Augustinus, hominem sine Dei adjutorio non potuisse in iustitia, & in bona voluntate manere, si vellet: nisi forte ita delirasse Augustinum & Concilia sentiamus, ut tanquam arcanam quandam veritatem adversus haereticos definiant, hominem sine gratia habituali & sine bona voluntate non posse in gratia habituali & in bona voluntate persistere; de quo nemo unquam cuiuscumque stuporis aut vecordiae dubitavit. Hinc Augustinus, ut probaret, hominibus lapsis opus esse actuali & praeviente libero arbitrio ad iudicium, quo possit credere Deo, eumque diligere: Bonum est, inquit, homini, ut cum totis viribus liberi arbitrii sui veraciter dicat: Fortitudinem meam ad te custodiam: quia ille qui putavit (primus homo) sine ipsius adiutorio se posse custodire, quod dedit, profectus in regionem longinquam cuncta consumpsit. Vbi sane cum urgeat instantissime, sine actuali & praevolante ac roborante libero arbitrio ad iudicium, non posse quicquam iustitiae aut pietatis agi, & hoc ex Adami lapsu probet, qui se id quod acceperat sine Dei adjutorio custodire posse crediderat, apertissimum est, actuale & praevolans actum Dei ad iudicium fuisse Adami ad custodiendam iustitiam necessarium. Perfactus enim fuisset Adam, si sine habituali iustitia, habituales iustitiam se custodire posse credidisset. Multo vero ineptius fuerit, huiusmodi Augustini locutiones ad Dei cooperationem cum actibus creaturae detorquere: cum illa stabilitatem habitus non conferat, sed supponat. Quid? Quod Fulgentius illius divinae custodiae vim explicans dicit: Vires creaturae non fuisse satis; virtutem Dei quos vellet ab illo casu defendisse gratiam operatam esse, ne Angelus caderet; & similia, quae ad habituales gratiam vel cooperationem Dei nulla possunt verisimilitudine detorqueri.

Sed ne generalibus tantum eos urgeam praedictis, ad ipsa Augustini loca accedamus: quibus tot modis, tantaque varietate veritatem istam perspicuam ac testatam fecit, ut mirum sane sit, quo pacto fieri poterit, ut homines perspicaces, & qui Augustinum legisse videri volunt, ad huiusmodi languidas, & ut verum dicatur, absurdas responsiones declinaverint. Nam si velimus effectus illos divini adiutorii primi status Angelici humanique percurrere, omnes omnino clamant, in aliam prorsus Augustinum, quam in habituales gratiam, divinamque cooperationem colimasse.

Nam primo, Deus per illam gratiam regere hominem, ne videlicet caderet. Perspicuum est autem, regimen non per habitus vel concursus operandi; sed per actuales sive illustrationes, sive motiones creaturae suae, voluntariisque successiones, Deo convenire: quae sane praevientes quosdam Dei influxus ipsa efficientes potentiam sonant. Quos divinae gratiae effectus respectu primi hominis clarissime expressit Augustinus, quando de illo dixit: Si voluntas in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, habitus permaneret; non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc intenaliter resceret & frigeret. Quae illustratio mentis ut videret, & accenso voluntatis ut amaret, ita efficaciter verissimum & propriissimum divinae gratiae adiutorium secum terunt, ut pro vera gratia lapsi hominis evidentius & efficacius testimonium ex Augustino vel Concilii proferre nequeamus. Quidquid enim aliud asseras, sive mentis instructionem, illuminationem, doctrinam; sive voluntatis inspirationem & afflatum; totum illud tantò aptius & clarius sub illustratione & accensione comprehenditur & exprimitur, quanto lumen & visio magis proprie intellectui, ardor & amor voluntati competit, quam quicquid aliud alijs figuris ac metaphoris insinuari potest.

Nec minus evidenter alter effectus custo-

diendi hominem id ipsum probat. Quis enim unquam somniavit Deum custodire gratiam habituales per ipsam gratiam habituales? Cum hoc revera non esset aliud, quam hominem iustum custodire semetipsum; quod tam disertis verbis Augustinus sapiens, & Concilium Arausicanum negat. Huiusmodi loca etiam capite decimo non pauca citavimus, quibus asserbat Augustinus, hominem sine Dei adjutorio non potuisse in iustitia, & in bona voluntate manere, si vellet: nisi forte ita delirasse Augustinum & Concilia sentiamus, ut tanquam arcanam quandam veritatem adversus haereticos definiant, hominem sine gratia habituali & sine bona voluntate non posse in gratia habituali & in bona voluntate persistere; de quo nemo unquam cuiuscumque stuporis aut vecordiae dubitavit. Hinc Augustinus, ut probaret, hominibus lapsis opus esse actuali & praeviente libero arbitrio ad iudicium, quo possit credere Deo, eumque diligere: Bonum est, inquit, homini, ut cum totis viribus liberi arbitrii sui veraciter dicat: Fortitudinem meam ad te custodiam: quia ille qui putavit (primus homo) sine ipsius adiutorio se posse custodire, quod dedit, profectus in regionem longinquam cuncta consumpsit. Vbi sane cum urgeat instantissime, sine actuali & praevolante ac roborante libero arbitrio ad iudicium, non posse quicquam iustitiae aut pietatis agi, & hoc ex Adami lapsu probet, qui se id quod acceperat sine Dei adjutorio custodire posse crediderat, apertissimum est, actuale & praevolans actum Dei ad iudicium fuisse Adami ad custodiendam iustitiam necessarium. Perfactus enim fuisset Adam, si sine habituali iustitia, habituales iustitiam se custodire posse credidisset. Multo vero ineptius fuerit, huiusmodi Augustini locutiones ad Dei cooperationem cum actibus creaturae detorquere: cum illa stabilitatem habitus non conferat, sed supponat. Quid? Quod Fulgentius illius divinae custodiae vim explicans dicit: Vires creaturae non fuisse satis; virtutem Dei quos vellet ab illo casu defendisse gratiam operatam esse, ne Angelus caderet; & similia, quae ad habituales gratiam vel cooperationem Dei nulla possunt verisimilitudine detorqueri.

Iam vero tertius ille effectus ADIVVANDI, de quo supra diximus, perspicue etiam actuale aliquod adiutorium sonat, quo Deus iustos adjuvat, ut iustitiae habitus perseveret. Si enim nihil aliud vellet Augustinus, nisi adiutorium, quod confert ipse habitus, vel quod confert Deus, ipsum habitum conservando, designare, jam certè similiter verum esset, nec hominem injustum sine tali adiutorio Dei habitum iniustitiae posse servare: quod sane ab Augustini doctrina remotissimum est. Actuale igitur aliquid sonat huiusmodi iustitiae retinendae adiutorium. Ex cuius rei evidentia factum est, ut ipsi Recentiores, cum aliquam peculiarem gratiam actualem uni Angelo praeter alio datam fuisset, qua unus praeter altero divinitus ad assequendam beatitudinem juvaretur, probare

Epist. 106.
in istis.

Loca supra
citata sunt

Epist. 74. de
Civitate, c. 13.

In. de Civit. 19.

probare volunt, semper illum Augustini ur-
geant & merito urgeant loquuntur: illi mala vo-
luntate cadentibus, illi amplius adiuti &c. Sed
quod fuerit illud, amplius adiutorium, &
quando datum, non satis intelligunt: ut nihil
mirum sit, si in hoc ipso quoque ampliori, &
actuali, & veri nominis adiutorio ad suum
propositum afferendo hallucinentur, & nihil
proberent. Quapropter phrasia ista, qua primus
homo iniustus dicitur sine adiutorio Dei non
potuisse datum conservare iustitiam, illi om-
nino similis est, qua dicimus, hominem sine
alimenti aut medicinae adiutorio non posse
tueri sanitatem suam: quod nemo nisi fatuus
aliter intelligeret, nisi de novis assumendis
adiutorijs, quibus natura roborari posset in-
firmitas. Nam & illa de sanitate & medico
sumpta phrasia & similitudine, Augustinus ad
gratia necessitatem in Adamo explicandam
usus est: Semper, inquit, de primo homine

Serm. 34 de
divers. 3.

loquens, Deus medicus opus est, etiam sanis, ut sani-
tas ipsa conservetur. Vbi ridiculum fuerit sic istud
intelligere, ut ratione illius iam collata sani-
tatis, vel ratione cooperationis Dei cum sani
hominis actionibus, qua sanitatem sequitur,
etiam sanis Deus opus esse dicatur. Sed qui-
cunque sani aliquid sapit, illud servandae sani-
tatis, sive animi sive corporis adiutorium
sic intelligit, ut per illud instabilitas & natu-
ralis quaedam infirmitas sanitatis, qua corpori
& animo beatam immortalitate tollenda est, ita
fulciatur, ut nec aegritudine intrinsecus sub-
nascente, nec vulnere extrinsecus irruente
violatur; sed ab omni incommodo illasa per-
duret. Cum autem sanitas mentis Adami in
eo sita fuerit, ut Deum fide creditum bona
voluntate, ut Augustinus loquitur, hoc est,
vera charitate diligeret, sanitatis adiutorium
non erat aliud, quam quo poterat perseveran-
ter credere atque diligere; vel ut efficacius, &
ad adiutorij istius vim aptius exprimendam

In. de Civit.
cap. 13.

dixit Augustinus, quo a superiori bono illustra-
batur, ut videret, id est crederet, & accendebatur,
ut amaret, hoc est, eo fine, ut perseveranter
credere ac amare posset, adeoque crederet,
amaretque re ipsa, si vellet: ne naturali crea-
tura instabilitate, qua ei ex nihilo adhæsit
unde extracta est, ab illo averſa bono intene-
braret & frigesceret.

ibid.

Quod si verò exempla ponderemus, quibus
Augustinus semper utitur, ut necessitatem divi-
nae gratiae adjuvantis exprimat, eviden-
tissimum est, non posse de habitu iustitiæ, vel
influxu divinæ cooperationis intelligi. Nam
adiutorium illud plerumque alimentis com-
parat, sine quibus non potest homo vel sanus
manere vel vivere. Nemo autem dubitat ali-
menti adiutorium esse ab ipsa vita & sanitate,
& Dei quoque in isto genere cooperatione di-
versum. Sicut mori, inquit, est in hominis pote-

In Enchir.
c. 106.

state cum velit: nemo est enim, qui non seipsum, ut
nihil aliud dicam, vel non rescendo posset occidere: ad
vitam verò tenendam voluntas non satis est, si adiu-
toria sive alimentorum, sive quoruncumque inta-
minum desunt: sic homo in paradiso ad se occidentem,
relinquendo iustitiam, idoneus erat per voluntatem;
ut autem ab eo teneretur vitæ iustitiæ parum erat velle,
nisi ille qui cum sece, rat adiuveret. Et in libris de
Civitate Dei: Sicut in hac carne vivere sine adiu-
nentis alimentorum, in potestate non est: non autem
in ea vivere, in potestate est; quod faciunt qui seipsos
necant: ita bene vivere sine adiutorio Dei, etiam in
paradiso non erat in potestate; erat autem in potestate
male vivere &c. Vbi etiam dicit, meritum
hominis fuisse in adiuta divinitus voluntate bona.
Ecce utrobique dicit ipsum velle sicut ad vi-
tam, ita & ad iustitiam retinendam non suffi-
cere, si adiutorium Dei tanquam alimenti de-
ficit. Quid est autem ipsum velle voluntatis
bonæ, nisi iam amare iustitiam, & consequen-
ter iam Deum cum illa voluntate concurrere?
Et tamen vult Augustinus, neutrum adhuc suffi-
cere, nisi aliter illa voluntas divinitus adjuve-
tur, hoc est, nisi Dei adiutorio, non coope-
rante, cum actione, sed potentiam roborante,
firmetur. Vnde discipulus Augustini Fulgen-
tius clarius Magistrum explicans: Ab hoc in-
firmam replet; (hominem iam lapsu) illum
(Angelum stantem) infirmari non sinit: illius esca,
ipsius medicina. Vbi infirmari non sinere, &
escam esse, nimis evidenter indicat adiutorium,
quo Angelum in iustitia stantem à ruina robo-
rando tueatur: cum paulò ante dixisset, natu-
ram Angelicam propria stabilitate sufficere ne-
quuisse.

Altera comparatio, qua Augustinus crebrò
utitur ad explicandum primi hominis & An-
geli adiutorium, est lucis, sine qua oculus etiã
plensimè sanus, ut ipse loquitur, non potest
quicquam cernere; sed in tenebris profusus
manet. Certissimum autem est, lucis adju-
torium profus ab ipsa oculi sanitate, & cusulvis
sive hominis sive Dei cooperatione, esse di-
stinctum. Loca nonnulla ex Augustino supra
dedimus. Vnde & libro de gestis Pelagij ean-
dem lucis comparisonem ad gratiam Christi
post lapsum, hominibus necessariam extendit:
Sufficit enim, inquit, sibi oculus ad non videndum,
hoc est, ad ten. bras; ad videndum verò lumine suo
non sibi sufficit, nisi illi extrinsecus adiutorium clar-
luminis prabeatur. Vbi nemo sanè dixerit, gra-
tiæ Christi adiutorium, quod hominibus iam
post ruinam tribuit, tantummodo esse habitum
gratiæ, vel ipsum Dei cooperantis influxum:
sed sicut etiam ipsa corporalis lux, respectu
oculi, extrinsecus advenit, & potentiæ in-
firmitatem roborat, ut immutabile bonum
arcano illo divinæ charitatis lumine possit
cernere.



CAPVT XIII.

Idem ostenditur uberiùs ex Augustino.

ET ista quidem quamvis ad intelligendam Augustini mentem abundè satis sint, solus tamen discursus ejus, quem de isto Adami adjutorio ex professo in libro de correptione & gratia tenuit, ita ad omnia confirmanda manifestus est, ut nihil poenè clariùs dici potuisse videatur. Vnde totus locus paulò accuratiùs expendendus est. Adversus Pelagianos igitur, qui perseverantiam in iustitia, hoc est, qui actus bonos quibus perseveratur in iustitia, suis viribus tribuebant, statim in ipso disputationis exordio assumit Augustinus, quantumvis nunc per Dei gratiam à damnatione liberandi, hoc est, in iustitia collocandi, & perseveranter conservandi esse dicamur, tamen etiam olim Adamum ad perseverandum in iustitia, hoc est, ad iustè operandum usque in finem, gratiæ adjuvantis adjutorio eguisse. Perspicuum est autem, cum de conservandis in adeptæ iustitiæ hominibus cum Pelagianis actum est, de actuali gratiæ adjutorio fuisse certamen: illis vires jam habitas hominis iusti imbecilles esse negantibus, Catholicis affirmantibus. Vnde fit, ut quoadcunq; Augustinus ibi nominat gratiam, vel adjutorium, quæ vel quo liberum arbitrii iuvabatur, ut velle posset aut vellet, semper illud (quod) vel (quæ) designet relationem non simultaneæ cooperationis cum arbitrio, sed principij prævenientis actum, quod potestatem liberi arbitrii roborando, simul cum eo unum plenum principium in actum influens constitueret. Per liberum autem arbitrium in istis Augustini locutionibus, non ipsa naturalis potestas tantum, sed semper intelligitur, ut jam bona voluntate, hoc est, ipso habitu divinæ charitatis instructum: *In illa quippe cum fecerat, ut ipse loquitur, qui fecerat vultum: illa quippe sub nomine liberi arbitrii, maxime cum de Adamo sermo est, comprehenditur. Nam Augustini phrasi, de qua supra fusè diximus, liberum arbitrium Adami non erat ullo pacto liberum, nisi per illam divini amoris gratiam: utpote quæ esset ipsissima libertas ejus ad bonum. Ex quo & illa phrasi ejus ibidem, & alijs locis sæpè repetita, quòd Adami arbitrium nunc ita liberum erat, ut bene velle posset, & male, & quòd iam illa peccati merito sit amissa libertas.*

Cap. 11. Hæc enim Augustinus non nisi ratione infusi Adami, dum crearetur, & post amissi habitus charitatis, seu bonæ voluntatis, intelligit: quæ præsentè, arbitrium ejus erat liberum, perdita verò non liberum, sed liberandum. Hinc igitur sicut consideratione tum scopi Augustini adversus hæresim Pelagianam, tum phrasi liberi arbitrii, quòd iuvandum esse dicit, tum perseverantiæ, quæ iustorum est, quos tam in innocentia, quam culpæ statu Dei

adjutorio indigere testatur, ipsam nomina adjutorij non possit accipi nisi de illa gratia, quæ arbitrium jam per iustitiam & habitum bonæ voluntatis aut charitatis liberum, adhuc tamen fulciendum est, ne tentationis alicujus irruentis impetu voluntas illa bona deficiat, sed in illa iustitiæ libertate perduret. Quod, nisi communi sensui repugnare velimus, non de ipso charitatis libertatem afferentis habitu, utpote quod sub ipso arbitrio quatenus liberò comprehenditur, sed de distincto & libertatem flexibilem adjuvante adjutorio intelligi debet.

Hoc ergo ut clariùs ac distinctiùs nobis Augustinus exprimeret & imprimeret, ita loquitur: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, id est, charitatem seu iustitiam; in illa quippe, ut addit, eum fecerat qui fecerat reatum.* Ecce gratiam habituales, quam ei fuerat in ipsa conditione largitus. Mox verò subjungit: *Dederat & adjutorium, hoc est, dederat et quoque præter bonam voluntatem, ejusdem bonæ voluntatis adjutorium.* Hoc enim sibi vult illud (&) hoc est, etiam, distinctum ergò fuit ab ipsa gratia bonæ voluntatis. Cujus naturam ut magis explicaret: *Sine quo, inquit, in ea non poterat permanere si vellet, id est, et si vellet.* Quo significat, robur addidisse voluntati, ut in ea bona voluntate perseverare posset; ad quod non poterat nudum ejus velle sufficere: & proinde ab ipsa bona voluntate fuisse diversum. Nisi ridiculum omninò fuisse velimus Augustinum, qui dicere voluit, quod sine bona voluntate non potuerit in bona voluntate permanere, si vellet. Nam istam ineptiam ne forsitan et quispiam tribueret, antè dixerat: *Liberum arbitrium ad bonum nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono, hoc est, à Deo.* Nemo quippe ita absurdus est, ut habitum illum omnipotens bonum vocet, vel dubitet, volitionem bonam ab ipsa habituali bona voluntate seu charitate fieri & jvari. Vnde paulò post, hoc adjutorium comparat alimento respectu vitæ: quod sanè à vita, quæ juvatur ut perdurare possit, planè diversum est. Hinc ut eandem ab habituali gratia seu bona voluntate distinctionem indicaret, infra cum bonam illam voluntatem vocasset *fortem & sanam*, nempe ratione iustitiæ nulla cupiditate perturbata, statim adijcit: *Quantumvis, inquit, non defuturo adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet, clare indicans, adjutorium illud non cum ipsa jam bona voluntate esse datum; sed postea dandum esse, nec defuturum; cum hoc oportunitas exercendarum actionum postularet, quibus solis præcepta servantur, & iustitia retinetur.* Vnde similiter in Enchiridio ad Laurentium: *Et si peccatum in solo libero*

Cap. 12.

En Enchir.
libero 106

libero arbitrio erat constitutum; non tamen iustitia
retinenda sufficiebat liberum arbitrium, nisi partici-
patione immutabilis boni divinum adiutorium præ-
beretur.

Et omnia quidem ista non minus perspicue
probant, non esse concursum illum simulta-
neum, quem Augustinus adiutorium vocet, &
ipsi concomitantem, novâ prorsus istius vo-
cabuli significatione nominant, ut aliquod
singulare gratiæ genus Adamo tribuisse vi-
deantur. Fatentur enim ipsi concursum illum
non aff. re vires ullas agentibus; cum sit in-
fluxus in effectum, non in causam, quæ nisi
aliunde satis fortis fuerit ut aliquid agat, per
illum concursum non fiet fortior. Quæ sanè
Augustino magnopere adversa sunt. Ille nam-
que sæpè repetit, sine illo adiutorio hominem
primum non potuisse permar. ere; cum illo potuisse,
si vellet. Quibus phrasibus indicat apertissime,
ipsam potentiam fuisse eo presente non modo
roboratam, sed tributâ, absente diminutâ atq;
detractam. Hinc de Angelis & hominibus:

Cap. 11.

*Si hoc adiutorium eis defuisset, non utique sua culpa
cecidissent. Et causam adjicit: Adiutorium quippe
defuisset, sine quo manere non possent, perspicue in-
dicans, aliquid ipsi potentia illius adiutorij
subtractione fuisse deluturum. Ad Dei quippe
simultaneam cooperationem non possunt illa
sine manifesta absurditate torqueri. Primum,
quia sine illo concursu Dei non solum homo
aut Angelus in iustitia permanere non potest;
sed nec ex iustitia cadere potest. Sive enim
actione, sive etiam sola voluntate, sine illa
Dei cooperatione peccare non potest. Hoc au-
tem Augustini doctrinæ non est dubium esse
contrarium, ut qui in hoc ipso loco diversita-
tem creatæ potestatis ad bonum & malum,
certissima distinctione discernens: Ad malum,
inquit, sufficit; ad bonum nihil est, nisi adjuvetur
& alibi ab omnipotenti bono. Quam differentiam alibi
sæpè tradit.*

*Lib. v. de pecc
merit. c. 5. &
19 & alibi ab
omnipotenti bono
passim.*

Secundò, quia naturam adiutorij hominis
lapsi ac stantis comparans Augustinus, sæpè in-
dicat differentiam illam tantummodo atten-
dendam esse secundum majus & minus, effi-
caciùs & inefficaciùs ita nèpe, ut per unum fie-
ret ut velimus, per alterum ut velle possimus;
utrumque ergo robur afferebat, etsi majus aut
minus. Concursus autem ille simultaneus nul-
las confert causis agentibus vires, sicut apud
Recentiores in consensio est: sed sese viribus
creatæ potestatis accommodat, ita ut, si fortè
ante concursum infirmæ ad agendum fuerint,
nunquam illa adjectione roborentur, ut firmæ
fiant; si firmæ, nunquam illius subtractione
debilitentur, ut infirmæ fiant. Nunquam
enim illum libero arbitrio ad agendum præ-
parato subtrahi, axioma Recentioribus rece-
ptissimum est.

Hinc tertio manifestum est, non posse esse
illam simultaneam cooperationem Dei. Au-
gustinus enim docet, istud adiutorium Ange-
lis & hominibus ante lapsum nullo modo de-
esse potuisse: quia si defuisset, non utique sua culpa
cecidissent: postea verò, peccatum hominis esse

A illius subtractione punitum: Nunc autem, in-
quit, quibus deest tale adiutorium, (quale Adam
habuit) iam pœna peccati est. Iuxta Recentiores
autem certissimum est, cooperationem illam
nemini in pœnam, sed solum agere volenti
subtrahi, hoc ipso videlicet, quo non agunt.
Cum enim cooperatio sit, essentialiter simul,
secum agentem involvit, quem nunquam de-
stituit nisi ab illo destituatur. Neque verò
etiam nunc illa cooperatio, seu illa gratia con-
comitans quibus subtrahitur à Deo, tanquam
peccati pœna subtrahitur; sed propria liber-
tate repudiatur, eodem prorsus modo, quo
peccare nolentibus eadem illa cooperatio à
Deo subtrahi solet. Non enim vel bene agen-
do velut præmium acquiritur, vel male agen-
do subtrahitur; cum neq; sit meriti præmium,
nec pœna demeriti: sed ab arbitrij humani &
Angelici libertate suspensum, ut naturalis de-
fectus illa cooperatione, semper in malum non
minus ac bonum præsentissimâ, paratissimâq;
suppleatur. In ordine quippe supernaturali
tam illa cooperatio supernaturalis est agenti
supernaturali debita, quam naturalis agenti-
bus naturalibus: pertinet enim non minus ad
naturam talis, quam ad cuiuslibet alterius insti-
tutionem. Vnde sequitur, ut quemadmodum
qualibet natura quicquid faciat tali concursu
adjuvante, viribus naturæ dicitur facere; ita
& Adam viribus naturæ debeat dici potuisse
bene facere, stare, perseverare, quantumvis
sine tali concursu non potuerit; si nullo alio
indiguerit gratiæ adiutorio.

Ex quo emergit aliud argumentum ex Au-
gustino. Docet enim, Adamum istud adjuto-
rium per impetrandi fiduciam accipere de-
buisse: *Quandoquidem, inquit, sic erat constitu-
tus, ut si de adiutorio Dei siceret, bonus homo malum
Angelum vinceret. Et continuo adhuc: Quia &
ipsum confidere de adiutorio Dei, non quidem posset
sine adiutorio Dei. Iam verò illa simultanea
cooperatio Dei, seu concomitans illa gratia,
quam ipsi vocant, nec fidendo impetratur, nec
amittitur diffidendo: sed sive Deo quis fidat,
sive diffidat, semper agere volenti præsto est.*
Sed est aliud istius adiutorij, quod Adam
habuit, & concomitantis illius cooperationis
Dei capitale discrimen. Nam ex professo do-
cet Augustinus, adiutorium Adami fuisse ad-
iutorium sine quo non, non autem adiutorium
quo, hoc est, fuisse tale adiutorium, ut sine
illo quidem liberum arbitrium in iustitia stare
non posset; non tamen tale, ut illo dato jam
hoc ipso in iustitia staret seu perseveraret.
*Quemadmodum, inquit, beatitudo cum data fuerit
homini beato, continuo fit beatus. De qua do-
ctrina plura paulò post dicturi sumus: nunc
satis est intelligere, concomitantem illam gra-
tiam, seu cooperationem Dei ex diametro esse
oppositam ei, quod de Adami adiutorio Au-
gustinus docet. Est enim tale adiutorium, ut
eo dato, jam hoc ipso detur id propter quod
datur. Si enim Deus credenti vel diligenti
cooperatur, jam hoc ipso, quo cooperatur,
homo credit ac diligit. Ex quo fit, ut impos-
sibile*

sibile sit, cooperationem illam concomitantem Dei, esse illud adiutorium, quod Adamo & Angelis ex Augustini mente datum est.

Ex his puto perspicuum esse omnibus, qui magis sincerissimæ veritatis agnitione, quam preoccupatæ sententiæ defensione delectantur, Augustini doctrinam ab eorum opinione remotissimam esse, qui adiutorium Adæ & Angelis datum vel gratiam habituales, vel illum communem supernaturalis ordinis influxum esse putant, quo Deus cum homine iusto ad agendum aliunde satis robusto, proficiente, & concitato simul agit, nihil moturus, vel adiuturus, vel roboraturus hominem, vel acturus in homine, si ille ex seipso non agat. Nam per huiusmodi gratiæ adiutoria, quæ pro gratiæ adiutoriis, de quibus erat dilectatio, nunquam vel Pelagiani, vel Semi-Pelagiani, vel Augustinus agnovit; neque Deus regit ambulantes, neque custodit, aut servat periclitantes, neque juvat infirmos, vel eos infirmari non sinit; neque homines illustrat ut vidant, neque succendit ut ament: utpote quæ neque lumen sint, quo oculi videant, neque scela, quæ vita fulciatur, neque auxilium, quo sanitas ipsa teneatur, neque quicquam eorum in se contineat, quæ Augustinum illi adiutorio tribuisse monstravimus. Quapropter non gratiam habituales, non simultaneam illam cooperationem Dei ab ipsius hominis libertate suspensam, sed verissimæ gratiæ actualis roborantis & adjuvantis auxilium intuebatur, quando præclarissimam illam sententiam protulit, quæ Pelagiana hæresis jugulata est: *Natura humana, etiamsi in illa integritate in qua condita est permaneret, nullo modo seipsum creatore suo non adjuvante servaret. Cum igitur sine Dei gratia salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia potest reparare quam perdidit?* Quorum verborum pondere cuncta quæ de illo adiutorio hæcenus diximus, miræ brevitate comprehendit, & gravitate firmavit, & claritate explicuit. Nam & gratiam definit in illa integritate etiam iusto, hoc est, jam ante

habenti habitualis gratiæ adiutorium, ad ipsam salutem seu habituales iustitiam custodiendam, ut scilicet declinet à malo, & faciat bonum, esse necessariam; & ita necessariam, ut illo gratiæ adiutorio in custodienda servandaque salute, seu iustitia, iusti imbecillitas adjuvetur ac suppleatur; quia se servare non potest. Sine iustitia enim habitualiter & formaliter inherente eum non posse servare iustitiam, ridiculum est adversus hæreses definire; cum sic nec sine iniustitia habitualiter inherente possit servari habitualis iniustitia. Neque Dei cooperatio quicquam ad iustitiam custodiendam valet: cum illa cooperatio non sit iustitia per eam custodiendam prior, quemadmodum esse deberet; sed ipsa jam eo utique custodita & iam pregnantante atque actariante posterior. Nec illa prorsus est, quam ibi destruebat Pelagius, & attruebatur tota illa Epitola summis viribus adversus Pelagium Augustinus: hinc quæ scilicet ille, & cum qua hic dicebat, hominem salutem reparare posse, quam perdidit. Quæ verba civinâ luce fulgentia, caelesti circumspeditione plena, sententiæ amplitudine miranda, sensus efficacia & ubertate pregnantia, tantopere Romane Sedi & Araulicis Patribus placuerunt, ut ea adversus omnes Pelagianorum cavillationes canonice sanctionis auctoritate tacuerint; & consequenter ea capita, quæ supra de illo primæ integritatis adiutorio ex ejus mente, qui illa cœcepit ac tradidit, declaravimus, in Christianæ fidei dogma converterint. Quo mirari satis nequeo illam cujusdam recentioris confidentiam, mentis Augustini, & Pelagij, & veritatis non satis peritam, qui aulus est dicere, Augustinum *procul dubio* in libro de Corrept. & gratia, ubi de illo jam à se tractat adiutorio, non aliud intellexisse, quam dona habitualia iustitiæ originalis, gratiæ, & Theologalium virtutum, aliorumque habituum supernaturalium. Quo sanè commento, secundum illa quæ fuscè ex varijs Augustini locis commonstravimus, nihil alienius fingi potest.

CAPVT XIV.

Quale fuerit istud adiutorium quantum ad operandi modum.

HACTENUS de natura istius adiutorij, quantum ad substantiam ejus disputavimus, ut sciremus quodnam illud sit, an habitus, an concomitans Dei operatio; an verò aliquid actuale actioni prævium: nunc dicendum de adjuvandi modo, qui potissimum ab Augustino in hac materia spectatur. Duplex est enim adiutorij genus, & consequenter duplex adjuvandi modus, unum est adiutorium *quo*; alterum *sine quo non*. Hoc est, unum est, *quo aliquid fit*; alterum, *sine quo non fit*. Exemplis res illustranda est. Nihil est adiutorium, ut videas; sed ita adjuvat, ut eâ positâ, statim videas, quod in omnibus causis formalibus locum habet. In efficientibus autem

tale adiutorium est illa simultanea cooperatio Dei: illa quippe datâ, contestim sine mora fit operatio; quæ nisi detur, nunquam fiet. Pedes verò sunt adiutorium ad ambulandum, navis ad navigandum, non tamen *quo*; sed *sine quo non*. Non enim si adsunt pedes, aut navis, continuo fit ambulatio aut navigatio; sine illis tamen fieri nequit. Tradit hanc divisionem expressis verbis Augustinus, ut naturam adiutorij primi hominis explicet. *Ipsa adiutoria, inquit, distinguenda sunt. Aliud est adiutorium, sine quo aliquid non fit; & aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Exemplum primi est: Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit ut vivat, quâ morâ reducitur.*

voluerit. Ergo adiutorium alimētorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. Exemplum secundi: At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adiutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adiutorium & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus; & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Divisio ista ex altiori capite nascitur. Quaedam enim ita adjuvant potestatem, ut eam hoc ipso quo dantur, ex potentia in actum extrahant, ipsumque effectum re ipsa ponant alia vero sic adjuvant, ut potentiam quidem præparent, roborent, iuvent; aliunde tamen quàm ex ipsis extracto potentia in actum secundum, seu ipsius potestatis applicatio atque determinatio ad agendum expectari debeat: huiusmodi est adiutorium lucis ad videndum, specierum atque scientia ad intelligendum, habitus ad operandum, pedum ad ambulandum, navis ad navigandum, tuasionis externæ ad operandum, & infinita similia. Omnia quippe huiusmodi, potentiam quidem operandi præparant, adjuvant, roborant; nisi tamen aliunde impulsus ad operandum veniat, nihil fiet. Cujus ratio manifesta est, quia ista adiutoria sunt ejusdem ordinis cum potentia, in cujus imbecillitatis subsidium dantur. Nam ex ipsis adiutoriis, & ex potentia una perfecta & completa operandi facultas constituitur, quæ voluntatis imperio, cuius est officium & seipsa & omnibus potentiis uti, ita penitus subiecta manet, ac si potentia esset sola omnibus adiutoriis destituta. Ex quo efficitur, ut quamvis huiusmodi adiutoria in infinitum auferantur, nunquam tamen propterea fieret effectus; sed tantum completius posset fieri: fit autem tunc, quando potestas ita ad agendum actu impellitur, non fit quædo non impellitur. Hinc est igitur quod Aug. alibi distinguit duplex adiutorium, quorum unum vocavit *possibilitatis*, hoc est potentia; alterum *voluntatis & actionis*. Quæ divisio petita est ex duplici illi adjuvandi modo, quem tradidimus. De quo plura in sententijs Pelagianorum explicandis dicta sunt. Adiutorium igitur, quod ibi vocatur ab Augustino *voluntatis & actionis*, hic est idem quod adiutorium quo fit voluntas seu volitio & actio; ita videlicet ut eoposito continuo liberum arbitrium velit & agat, eo nonposito, non velit nec agat. Adiutorium vero, quod ibi vocatur *possibilitatis*, seu potentia, complectitur sub se adiutorium, quod hic vocat Augustinus *sine quo non*, quamvis non illud solum. Datur enim & aliud adiutorium possibilitatis; quo quidem adjuvatur possibilitas, sed sic ut sine illo aliis modis potest fieri, sicut equus & rheda, & lectica ad iter faciendum, & eruditio ad bene vivendum, & medicina ad convalescendum iuvant; quamvis ista & sine illis adiutoriis fieri queant: quæ tamen diversitas maiorem quidem unius adiutorii, quàm alterius necessitatem arguit; non tamen diversum cooperandi seu adjuvandi modum. Vtrumque enim solum possibilitatem seu potentiam agendi adjuvat non voluntatem

& actionem: hoc est, adjuvant ut possit velle & agere, non efficiunt, ut velit & agat: sed ille impulsus potestatis, ut velit & agat, quantumcumque per adiutorium sine quo non adiuatur, aliunde profus expectandus est. Nam ut Augustinus alicubi dicit: Non est consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit.

Quibus ita constitutis, perspicue docet Augustinus. & iterum iterumque, diligenter inculcat, adiutorium Adami, cuius necessitatem tantopere multis locis commendaverat, non fuisse adiutorium quo, sed adiutorium sine quo non: hoc est, non fuisse tale adiutorium, quo fieret ut Adam perseveraret aut vellet, sed quo posset perseverare si vellet, & sine quo perseverare non posset: ita videlicet, ut illud adiutorium plenam permanendi potentiam seu sufficientiam largiretur, sine qua permanere non poterat; non tamen tribueret usum illius adiutorii, seu ipsam permanendi voluntatem; ut pote quæ in ipsius libero relinqueretur arbitrio, à cuius liberrimo flexu & nutu Deus pendere voluit, ut illo adiutorio uti vellet aut nollet, atque ita actu permaneret aut caderet. Laboriosa huic rei probatione non est opus. Tot enim pro ista doctrina occurrunt testimonia, ut tedium lectori parerent, si omnia proferrentur. Nam toto capite undecimo & duodecimo libri de Corrept. & gratia, eam ex professo tradit. Nec enim alia de causa divisionem illam in adiutorium quo, & sine quo non, in medium adduxit, nisi ut discrimen agnosceremus adiutorij quod post lapsum datur, & ejus, quod ante lapsum datum fuit. *Primo ita que habuit, inquit, qui in eo bono, quo factus fuerat, acciperet posse non peccare, & posse non mori, posse ipsum bonum non deserere; datum est adiutorium perseverantia, non quo fieret, ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Et aliquanto inferius: Qui eis (lapsum) non solum datur adiutorium; quæ primo homini dedit, sine quo non posset perseverare, si vellet; sed in eis est unum operatur & velle. Et paulo post: Habens (Adam) virtutem liberi arbitrij, quamvis non de futuro adiutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet; non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet. Et superiore capite aperitissime: Sane habuit (gratiam) in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Et rursum: Tale quippe erat adiutorium, quod desereret, cum vellet. Et in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, ut vellet. Et iterum instantius: Sic adjuvabatur, ut sine hoc adiutorio in bono non maneret; sed hoc adiutorium, si vellet, desereret. Et paulo inferius: Posset ergo permanere, si vellet; quia non deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet. Sed qui non vult permanere, profecto eius culpa est. Ex quibus testimonijs & alijs in illa Augustini disputatione passim occurrentibus, duo perspicua ad rem nostram pertinentia colliguntur. Unum est, gratiam illam Adami non fuisse adiutorium voluntatis seu volitionis, & actionis, hoc*

Vide lib. 5.
de Hæresi
Pelag. c. 11.

hoc est, quò fieret, ut vellet, & ageret, seu, quò daretur ei velle & agere, siue perseverare, sed tantummodo possibilitatis, hoc est, quò fieret ut posset perseverare, si vellet, seu quo sola possibilitas perseverandi iuvaretur. Nam in eo consistit totum discrimen istius adiutorij ab adiutorio, quòd Christus lapsis tribuit: quòd per illud, ut jam sæpissimè audivimus, daretur posse, si vellet; per hoc verò etiam efficiatur, ut velit. Hoc est, ut per illud possibilitas seu potestas perseverandi, quæ citra istud adiutorium erat quasi semiplena, iuvaretur, quatenus per adiunctionem istius adiutorij plena fieret: per hoc verò potestatis istius usus, seu ipsam velle donaretur: quia ipsa potestate non utimur, nisi quando volumus.

Alterum, quòd ex isto sequitur, est, usum istius adiutorij non ab ipso illo eodem adiutorio, sed à libero primi hominis arbitrio pependisse; usq; adeo ut in ejus arbitratu, nutu, ac voluntate non minus esset situm uti illo adiutorio, quàm non uti; acceptare illud, quàm repellere; illi consentire, quàm dissentire; illud tenere, quàm deserere; stare, quàm cadere; perseverare, quàm non perseverare. Quòd quavis perle ex istis jam citatis Augustini testimonijs sequatur, imò manifestum sit; ipse tamen, ne quis cavillando nodum in scirpo quæreret differens verbis iterum iterumq; August. adiecit: Nec ipsi ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio. Et non multo post: Dedit et adiutorium, sine quo in ea (bona voluntate) non posset permanere, si vellet: ut autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Et apertissimè: Possit enim perseverare etiam (cum illo adiutorio) si vellet, quòd ut nollet, de libero descendit a butro; quòd tunc ita liberum erat, ut bene velle posset, & male. Et cap sequenti adhuc uberius: Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo sed perseverare & non perseverare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas &c. ut digne tantæ bonitati, & bene vivendi facultati perseverandi committeretur arbitrium. Iota demiq; disputationem brevibus & ipsa antithesi utriusque adiutorij clarissimis verbis finiens; Fortissimo quippe dimisit atq; permisit facere quòd vellet; in istis servavit, ut ipso donante invictissime quòd bonum est vellet, & hoc deserere invictissime nollet. Quòd nemini profectò mirum videri debet. Nam ex hoc ipso, quòd adiutorium illud non erat nisi adiutorium sine quo non, respectu liberi arbitrij, necesse erat ab alia causa fieri flexum arbitrij, quàm ab isto adiutorio: hoc est, necesse erat ab alio quàm ab isto adiutorio fieri applicationem tam arbitrij quàm adiutorij, ad hoc ut actu vellet & permaneret: cum antea solummodo posset permanere, si vellet.

Tertium istis duobus addi potest, Non aliud fuisse istud gratiæ adiutorium, quòd Adamo & Angelis datum fuit, quàm id quòd schola passim sufficiens vocat. Nam hoc ipso, quòd per illud iuste vivere, & in iustitia perseverare poterat, & sine illo non poterat, nec actum potestatis, sed potestatem actus asserbat, apertissimè sequitur, non aliud, quàm sufficiens dicen-

adum esse. Illud enim non est aliud, quàm quòd 5. nar. lib. 3. ita iuvatur ad operandum, ut possit si velit, ita ut in. de auxili. c. 2. h. l. illi ad volendum desit, quòd non sit in eius potestate, sicut Scholastici illud describere solent. Quòd quia ex ipsa rei natura perspicuum est, etiam Scholastici hoc auxilium status innocentie sufficiens fuisse confitentur. Vnde hoc ipsum luculentè S. August. expressit, cum toties dixit, Adam per hoc auxilium potuisse perseverare si vellet: vel ut alibi: Quanto magis laudandus ille, qui & velle præcepit & posse præbuit, & non impune nolle permisit. Quam potestatem paulò ante vocaverat sufficientissimam facultatem.

Quòd igitur in illo felicitatis primæ statu velle & nolle non ab ipso gratiæ adiutorio, sed ab arbitrij libertate Deus peti voluit, ut quocumq; videretur sese flecteret, siue applicando ipsum adiutorium ad influendū secum, si vellet, siue non applicando, si nollet, causa non alia fuit, nisi magnitudo libertatis, & consequenter potestatis, quæ primus homo in illa integritatis præstantia fruebatur. Cum enim nihil inesse, ut August. loquitur, Quod carnem animusq; hominis sollicitè viventi offenderet, hoc est, ciam nihil ei ex seipso concupiscencia luer resisteret, lequebatur inde in totam animam magna tranquillitas, & ex ista tranquillitate volendi quoq; & perseverandi summa facilitas. Erat quippe instar bilancis in æquilibrio constitutus, & instar globi rotundissimi in planitie perfectissima verus omnem partem æque mobilis, hinc ad iutus per naturam, inde per gratiam: ut quemadmodum sine gratiæ adiutorio facillimè soloq; nutu labi poterat; ita eadem facilitate solo nutu cum illo gratiæ adiutorio permanere. Ipsum quippe velle iustitiæ, cum nihil volenti resisteret, iam erat posse. Deus enim cum hominem beatum conderet, in hoc ipso quoque creaturam suam creatoris imaginem quandam exprimere & referre voluit, ut quemadmodum voluntas eius potestas est, ut hoc sit posse quòd velle, (quo enim altius ascenditur, eo magis ad unitatem tenditur) ita quoq; voluntas hominis primi comparatione iustitiæ retinendæ tanta potestate gauderet, & non aliud esset ei posse retinere iustitiæ, quàm velle retinere; posse non peccare, quàm nolle peccare. Vbi enim volenti nihil reluctatur intus, iam hoc ipsum velle iuste vivere, est iuste vivere; cum iusti vita non sit aliud quàm voluntas bona; quæ iam obtenta est hoc ipso quo voluit. Nunc autem postquam in illam miseriam peccato præcipitati sumus, ut voluntas resistat voluntati, & ipsa suâ propriâ divisione debilitata suâ secum cupiditate terrenâ quasi languore consigat, velle iustitiæ, aut velle iuste vivere non est ei latis, ut possit: sed opus est magnis viribus voluntatis, hoc est, ut loquuntur Philosophi, opus est intensissimo conatu voluntatis, quo resistentes intus timor, cupiditas, atque dolor, seu ut Augustinus loquitur: Cuncta iniquitas, cuncta invidantia, cuncta cruciantia superentur. Ex quo efficitur, ut nunc summus nostræ voluntatis conatus, qui non nisi per ardentissimam Spiritus sancti

WILHELMUS
WENDEL

lib. de corr.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

lib. 3. de lib. arbit.

inspirationem dari potest, vix jam possit id
 quod in Adamo infimus poterat, utpote cui
 hoc ipso quo volebat, nihil supererat superan-
 dū. Propter istam igitur summam bene volendi
 vivendiq; facilitatem, non ei per gratiam dari
 voluit, ut perseveraret aut vellet, sed in ejus li-
 berrimo, quamvis *non sine gratia*, posuit arbi-
 tratu. Quæ omnia, rem ipsam scilicet, & cau-
 sam ejus, mirabili penetratione atq; compendio
 significavit nobis August. cum illa divina ver-
 ba protulit: *Ut ergo non acciperet hoc donam De,*
id est, in bono perseverantiam primus homo; sed perse-
verare vel non perseverare in eis relinqueretur arbi-
trio, tales viros habebat eius voluntas, quæ sine ullo erat
instaura peccato, & nihil illi ex se ipsa concupiscentia-
liter resistebat, ut dignè tanta bonitati & bene vi-
vendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.
 Nec verò moveat quemquam, quod etiam in
 illo statu innocentia adjuvatorum istud simul
 cum voluntate in actum influeret, ut propterea
 putet, antequam arbitrium vellet, fuisse adju-
 vatorum *sine quo non* posse vellet vel facere; cum
 autem re ipsa adjuvatorum simul adjuvante & cõ-
 currente vellet & faceret, jam esse adjuvatorum
 quo vellet & faceret. Non enim actualis influ-
 xus & concursus illius adjuvatorij mutat natu-
 ram ejus: quasi ante actionem esset adjuvatorum
sine quo non, sub actione verò adjuvatorum quo: sed
 etiam tum cum concurrat & influit, non ipsum
 est, quo fit actio; sed tãtũ *sine quo non* fit. Nam,
 ut jam sæpius indicatũ est, non isto sensu vocatur
 adjuvatorum quo, quia est aliquod adjumen-
 tum quo simul adjuvante actus exoritur: sed
 quod ita adjuvat, ut illo præsentè continuò
 fiat id propter quod datur, illo absente nun-
 quam fiat. Jam verò etiam si tale adjuvatorum
 Adamo & Angelis datum fuerit, non tamen
 propterea in omnibus quibus datum fuit conti-
 nuò factum est id propter quod datum fuit.
 Imo etiam tunc, quando illo adjuvatorum simul
 influente in Angelis bonis actus fiebat, sicut
 per liberum arbitrium steterat, ut actum inci-
 peret, ita etiam stabat, ut pergeret. Non enim
 adjuvatorum influendo faciebat, ut arbitrium
 vellet; sed arbitrium volendo, ut adjuvatorum
 influeret, idq; non minus influxum prosequen-
 do, quam inchoando. Semper enim ejusdẽ ra-
 tionis adjuvatorum est, & omnino subditum nu-
 tui ipsius libertatis manet. Quod in exemplis,
 quæ August. protulit, omni serupulo ambigui-
 tatis caret. Lux enim sive in visionem influat,
 sive non influat; & alimentum sive sumatur,
 sive respiciatur, non aliud sunt quàm adjuvatoria,
 sine quibus non potest oculus cernere, vel vita
 subsistere. Non enim talia sunt, quibus fiat, ut
 videat, qui oculum claudere, aut ut vivat sicut
 Augustinus loquitur, *qui mori voluerit* etiam
 tum quando actu videt & vivit: sed solum ta-
 lia, quibus videre & vivere possit, si velit. Nam
 ut antè poterat neq; alimentum neq; lumen ad-
 mittere, ita admittit repudiare, vel alio quocũq;
 modo visionem, ipsamque vitam abrumpere.
 Hoc in navi, sine qua nemo navigat, in pedi-
 bus sine quibus nemo ambulat, quibus ipsis ex-
 emplis August. utitur, non minus manifestum

Lib. de corr.
 & grat. c. 12

De corrept.
 & grat. c. 12

A est. Voluntas est enim, quæ cum libuerit, & na-
 vi ad navigandum, & pedibus ad ambulandũ
 utitur, vel non utitur; & eadem libertate usum
 inchoatum continuat aut abrumpit. Nec aliud
 omnia ista, quæ diximus, sunt aut esse possunt,
 quàm adjuvatoria sine quibus non fit opus, sive
 actu per voluntatis arbitriũ fiat, sive non fiat.

B Ex omnibus, quæ jam diximus, ut istud hinc
 etiam obiter dicã, consecutaneum est, omnia ista
 adjuvatoria, quorum usus vel non usus ab alio
 pendet, ut ad effectum, propter quem data fue-
 rint, adjuvent, vel non adjuvent, influant, vel
 non influant, quibuscũq; tandem nominibus
 appellentur, sive habitus, sive species, sive lu-
 men intelligentia, sive cognitio, sive illumi-
 natio, sive lex, sive virtutis exemplum, sive na-
 tura, sive gratia, sive sufficiens, sive efficax, non
 aliud ex Augustini mente & ipsa veritatis re-
 gula esse vel esse posse, quàm adjuvatoria, sine
 quibus non fiunt illa, quorum causã conferun-
 tur. Eodem enim prorsus modo, quo iam de
 supra dictis exemplis declaravimus, inania &
 cassã fieri possunt & fiunt, nisi quis illa ad ad-
 juvandum applicuerit. Ex quo fit, ut non hoc
 ipso quo præsto fuerint, fiat opus, propter quod
 dantur. Neque quicquam prorsus refert, quod
 sive humanam, sive divinam præscientiam non
 latuerit, effectum illo adjuvatorio concurrente
 esse secuturum, vel etiam, si ita libet, quòd ho-
 mo vel Deus instituerit, procuret; ut effectus
 fiat illo cooperante. Nihil enim istorum im-
 mutat adjuvandi modum. Si enim in libertatis
 arbitrio & flexu situm sit, ut adjuvatorum hu-
 jusmodi, quodcũq; tandem fuerit, applicet vel
 non applicet, & ita ejus usui vel non usui quo-
 dammodo nutu suo dominetur, impossibile est
 ut aliud juxta Augustini descriptionem sit,
 quàm adjuvatorum *sine quo non*. Nam quemad-
 modum, ut ipse dicit, naturã eius declarando,

C *Cum adfuerint alimenta, non eis fit ut vivat, qui mori*
voluerit; ita cum adfuerint ista operationis adiu-
menta, non eis fit ut operetur qui cessare vo-
luerit. Et quemadmodũ non ideo desinit ali-
mentum esse adjuvatorum sine quo non, etiam si
Deus illo hominem propter dulcedinis pellic-
ientis blanditias usurum esse præviderit; ita
nec desinit illa esse adjuvatoria, sine quibus non
fit opus, quamvis allicente adjuvatorij suavitate
Deus influxum eius cum arbitrio secuturum
esse præciverit. Quid enim mirum, si non mi-
nus actio, quàm cessatio; usus, quàm non usus;
adjuvatorij influxus, quàm non influxus; coope-
ratio adjuvatorij, quàm non cooperatio, Dei per-
spicaciã omnia penetrante ac prævolante, præ-
sciantur? An ideo ipsi adjuvatorio applicatio ad
influendum tribui debet? Cur non potius illi,
cujus nutus facit, ut istud adjuvatorum simul
influat, cuius nutu plerumq; vice versã fit, &
semper fieri potest, ut non influat? Ille quippe
fulgentissimus & indubitatus character fronti
istius adjuvatorij ab Augustino infixus est, per
quẽ ab adjuvatorio quo fit opus, sine ulla ambi-
guitate discernitur, & ab imperitissimo quo-
que rerum iudice, facillimè certissimèque di-
gnosci potest.

Solvitur difficultas capite 12. proposita, & fusiùs
 declaratur adiutorium quo, & sine quo non.

EX his quæ diximus jam subluere incipit illius disunctio difficultatis, quam duodecimo capite proposuimus; quo, inquam, pacto fieri queat, ut Adam per liberi arbitrij vires in veritate stare potuerit, & re ipsa Angeli steterint, quod jam homo lapsus nequaquam, nisi per Dei gratiam, potest; & tamen nec Adam, nec Angeli ullo modo stare potuerint, quemadmodum nec homo jam lapsus in ea constitutus stare potest, nisi divinitus per gratiam iuvarentur, sicut utrumque constanter & iisdem locis Augustinus docet. Vtrumque enim sibi mira veritatis consonantia, neutro alterum interimente, coherere facile percipiet, qui utriusque status gratiam paulò attentius ponderaverit. Totam enim difficultatem dissipat, & scrupulos omnes tollit ille diversus adiuvandi modus. Angelos enim & Adamum sic adiuvit gratia, ut non per illam in veritate & iustitia steterint, aut stare potuerint; sed sine illa non steterint, neque stare, hoc est, perseverare potuerint: lapsos verò homines ita gratia divina iuvat, ut per illam in veritate & iustitia constituti stent, & per illam invictissime perseverent. Quod si cui adhuc obscurius dictum videatur, consideret ille, quòd, quando liberum arbitrium cum alterius causæ adiutorio actum facit, & oritur disceptatio, utri actus illius exercitium, sive quòd fiat actus ille, tribuendum sit, nunquam illi causæ actum solere vel debere tribui, sine qua non potest fieri; sed quæ suo imperio, quamvis non sine alterius adiutorio, facit ut fiat. Quis enim dubitat, quando aliquis propria impulsus libertate oculos non sine luminis adiutorio prebet, ut videat; manus ferro adjuvante impellit ut vulneret, pedes movet ut gradiatur, navem assumit ut naviget, non lumine, ferro, pedibus, atque navis; sed ipsi libero arbitrio tribuendum esse, quod actu cernat, vulneret, incedat, & naviget, quamvis sine illorum adiutorio fieri non potuisset, perspicuum sit? Eodem enim prorsus modo, quo illis omnibus presentibus adiutorijs manifestum est, eidem libero arbitrio tribuendum esse, quòd illis neglectis non utatur; ita eadè constat certitudine, ipsius esse, quòd illis utatur. Vfus enim adiutorii sine quo non, non ipsi adiutorio, sed causæ impellenti ad usum adiutorii, seu quæ utitur adiutorio ascribi debet. Adiutorium quippe sine quo non illius est naturæ, ut ex se non tribuat velle vel facere; sed ipsam dumtaxat volendi agendiq; potestatem compleat, cum sit eiusdem rationis atque ipsa potentia, in cuius subsidium datur. Ex quo fit, ut tam potentia, quam istud adiutorium rationem actus primi tantum subeant; actus verò secundus ab eo peti debeat, quòd potestiam unà cum eius adiutorio ut operetur impellit.

A Cum ergo in illo statu primi hominis nemo dubitet, liberi arbitrij seu voluntatis fuisse munus, ut seipsum ad volendum & operandum applicaret & steteret, ipsius quoque fuit, quæcunque voluntatis adiutoria, sine quibus velle non poterat, secum ad operandum rapere, & ad opus impellere. Res ista in habitibus voluntatis, in speciebus intellectus, in ipsis potentijs, in oculorum sive corporalium sive spiritualium luce manifesta est. Nam quamvis sine illis liberum arbitrium neque voluntate velit, neque mente intelligat, nec oculis videat; in confesso tamen est, omnes istas actiones ita esse libero voluntatis arbitrio tribuendas, ac si illas sine istis adiutorijs posset efficere: cum notum sit, ipsius esse tam per ista velle, quam nolle; tam agere, quam ab agendo desistere, tam adiutoria utendo arripere, quam non utendo repudiare. Vnum tantummodo observandum est, actiones illas liberi arbitrij, quæ propter inlitam dignitatem nudas naturæ vires longè superantem supernaturalis ordinis adiutorium postulant, ex illo cælestis habitus, vel actualis gratiæ adiutorio, supernaturalis ordinis dignitatem, & speciem imbiberè: sed quòd actu & re ipsa fiant, aut factæ fuerint, etsi influente simul adiutorio, nemini ascribi debet, nisi voluntati: sicut voluntati, si cessasset, ipsa cessatio adscribi debuisset. Haud secus enim ex solo liberi arbitrij flexu ac nutu pendet, si scribere velit per calamum aptum, aureum, argenteum, ac si per ineptum, plumbeum, pennaceum; si videat per oculum sanum, atque per lippientem; per lumen Solis, atque candelæ; si intelligat per species humanas, ac per angelicas; per habitum scientiæ, ac erroris; si diligit per habitum luminosæ caritatis, ac vitiosæ cupiditatis. Nam sicut rectissime Augustinus habitum esse dicit; *Quo aliquid agitur, cum opus est: cum autem non agitur, potest agi; sed non est opus;* & Philosophi, *quo quis agit, cum voluerit:* ita de omnibus huiusmodi adiutorijs potentiam adjuvantibus, non tamen effectum per se ipsa dantibus, dici potest, quòd illis voluntas utitur, cum voluerit, & non utitur, cum noluerit: & tam usus actualis, quam non usus, seu ipsum non agendi agendique exercitium non ipsis huiusmodi adiutorijs, sive habituum, sive specierum, sive luminum, sive sufficientium gratiarum, sine quibus non fit opus: sed ipsi libertatis arbitrio, quamvis non sine adiutorijs, sese quaqua verum stententi tribui debet. Sed si quòd esset, vel esse posset voluntatis adiutorium tales naturæ, quòd ita libero dominaretur arbitrio, ut illud secum in actum raperet, & in eo victrici quadam delectatione operaretur, ut vellet; iam influxus potentia seu actio, non esset ipsi arbitrio, sed dominantis illius virtutis efficacia tribuenda. Non quasi ipsum voluntatis arbitrium tunc non vellet

vellet aut faceret: sed quia per imperiosam virtutem illam hoc ei praestaretur, ut vellet, ac faceret; non jam antea, virtutem illam secum ad volendum faciendumque rapiendo, & applicando; sed impetum ejus sua se dulcedine rapientem subsequendo. Nam quemadmodum illic arbitrium est id quo fit opus; adjutorium verò sine quo non fit: ita hic vice versa efficacissimum illud adjutorium esset id quo fit opus; arbitrium verò sine quo non fieret. Supremum enim tribunal, cujus tunc arbitratu voluntas huc illuc volendo nolendoque traheretur, penes illum esset, qui tali adjutorio voluntatem flecteret; cum autem ipsi libertatis arbitrio supremum volendi nolendique nutus incumberet, ut adjutorijs illis, sine quibus non potest agere, pro suo beneplacito uteretur. Illic enim adjutorium in suos usus voluntatem rapit; hic voluntas adjutorium: illic usus arbitrij voluntatis ab adjutorio inseritur; hic usus adjutorij à voluntatis arbitrio.

Ex quibus ita declaratis perspicuum esse puto, quam rectè, quam perspicaciter, quam profundè Augustinus docuerit, & ut audivimus, constantissimè, & tanquam summi momenti rem iterum iterumque inculcaverit, Adamum non per gratiam, sed per liberum arbitrium, per libertatem voluntatis in veritate stare potuisse, & re ipsa Angelos perstitisse, tales fuisse vires voluntatis, ut ei digne perseverandi committeretur arbitrium: perseverare in eius relicto esse arbitrio: fortissimo dimisisse, atque permisisse facere quod vellet: quæ omnia de lapsis hominibus tanquam capitales injurias Christi Salvatoris exhorret, & tamen quam rectè non minori constantia & autoritate simul doceat, non sine gratiæ adjutorio Adamum atque Angelos permanere potuisse, vel permanisse. Ita quippe omnia, manente integerrimâ primarum virium potestate, salvâ divinæ gratiæ necessitate, mirâ utriusque pace atque concordia, præclarissimè & sibi & innocentium felicitati, & lapsum calamitati consonant. Nimirum ut neque stantium integritas de aliqua sua perseverandi infirmitate conqueratur, neque lapsum infirmitas de sua perseverandi potestate gloriatur. Cum enim ex una parte vires libertatis essent integerrimæ, omnis omnino concupiscentialis motus interiùs sibi reluctantis expertes, & per hoc quasi in æquilibrio volendi nolendique constitutæ; ex alia verò parte gratiæ adjutorium non esset, quo voluntas & opus fierent; sed sine quo non fierent: id est, non tale ut per seipsum victrici efficaciam quasi dominando ipsum velle operaretur & faceret; sed ipsi arbitrio tanquam liberrimo ac fortissimo dimiteret, ac permitteret, non sine adjutorio gratiæ, facere quod vellet: quis non videt, non ipsi gratiæ adjutorio tribuendum esse, quòd in veritate permaneret; sed illi potius, qui adjutorium, quod de seipso semper mansisset otiosum, re ipsa ad usum applicando in veritate permanit? Nam quemadmodum neque tentationi dæmonis, neque verbis uxoris, neque objecti cuiusvis ad peccatum con-

currentis cognitioni, sed libero arbitrio primi hominis ascribi debet, quod ex veritate cecidit, quamvis sine illis re ipsa non cecidisset, sine hac verò cognitione neque cadere potuisset: ita nec gratiæ adjutorio, sed libero arbitrio ascribi debuisset, quòd in veritate stetit, quamvis sine illo stare non potuit: cum tamen pariter stare, vel non stare; perseverare, vel non perseverare in eius relinqueretur arbitrio. Non ergo per gratiæ adjutorium bonus Angelus, sed per liberum arbitrium, non sine gratiæ adjutorio, in veritate permanit; sicut non per tentationem malus Angelus, & malus homo, sed per liberum arbitrium, non sine tentatione, ex veritate lapsus est. Hoc est enim ipsissimum illud quod Augustinus dicit: *Sicut illi, qui ceciderunt Angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.* Nam sicut habitus, quamvis in ipsa voluntate vivâ sint, modo se habent mortuo, nec voluntatè ipsi, sed ipsos voluntas ad suos actus movet: ita tale adjutorium sine quo non, quantacunque fuerit excellentiæ; non ad actus voluntatem concitavit, sed ab illa concitatum fuit: & nisi nutum ipsa suum volendo præbuisset, & adjutorium arripuisset, sive in bonum, sive in malum, utrovis modo adjutorium torpisset otio, & sine omni effectu vacuum mansisset. Liberum enim arbitrium hac illac sese flectendo dominatum fuit, & ut jam sæpe diximus, illi non minus ascribi debuit, quòd actus exercitium, etsi non sine adjutorio lectum fuit, quàm quòd neglecto adjutorio non secutum.

Hæc ergo genuina & vera ratio est, cur semper Augustinus, cum de adjutorio primi hominis loquitur, comparatione lucis & alimenti utitur, quæ oculis & vitæ etiã perfectissimè sanis prorsus necessaria sunt: non tamen ejusmodi, quibus fiat, ut videat, aut vivat homo, si fortè clausis oculis esse, & mori voluerit; sed sine quibus non fiat. Non enim se ipsis hoc efficiunt, ut, si ad sint, continuò homo vivat, aut oculis videat; sed tantummodo, si voluerit; hoc est, si libero suo arbitrio presentibus adjutorijs istis usus fuerit. Vbi sanè, nisi contra ipsam rerum naturam velut contra maris fremitum clamare voluerimus, quicumque sani cerebri fuerit prorsus perspicit, libero arbitrio, non luci aut alimenti esse tributendum, quod cernat, aut vivat; quantumvis sine luci & alimenti adjutorio & influxu cernere nullo modo possit, aut vivere. Longè aliter se res habet in illius gratiæ adjutorio, quod lapsus per peccatum tractisque viribus libertatis Christus attulit. Hoc enim non est amplius adjutorium, sine quo non possunt velle vel permanere; sed quo præsentè, hoc ipso fit, ut velint, atque permanent: & per hoc non libero voluntatis arbitrio, sed ipsi gratiæ tribui debet, quòd volunt: nec iam per liberum arbitrium, sed per gratiæ adjutorium, non tamen sine libero arbitrio, volunt & permanent. Ipso enim gratiæ adjutorio donante fit, ut invictissime me quod bonum est velint, & hoc deserere invictissime & gratiæ nolint.

157

nolunt. Hinc est quod Augustinus, qui toties tanto studio inculcaverat, adiutorium gratiæ, quod Adamo & Angelis datum fuerat, fuisse sine quo non fieret opus, arbitrium verò voluntatis, quo, seu per quod fieret: cum ad Christianæ gratiæ adiutorium explicandum venit, phrasibus è diametro repugnantibus utitur, quibus indicet, jam gratiam esse adiutorium quo, seu per quod fit opus, arbitrium verò voluntatis esse sine quo non fit, nec fieri potest. Hoc ergo, inquit, frustra dicitur elucebit, cum & ipsam humanam iustitiam (id est, opus iustitiæ) operationi Dei (id est, gratiæ adiutorio) tribuendam esse claruerit, quamvis non fiat sine hominis voluntate. Et rursum: Non iustificati per legem, nec iustificati per gratiam ipsius: non quod sine voluntate nostra fiat &c. & non multo post: Demonstrare nitimur, in eo nos adiuvari ad operandam iustitiam, quod ipsa voluntas nostra, sine qua operari bonum non possumus, adiuvetur & erigatur, imperitio spiritu gratiæ.

Ex ijs, quæ hæcenus declarata sunt, id quoque perspicuum est, quo pacto Adam & Angeli dicantur absolute per vires liberi arbitrii iuste vivere & perseverare potuisse; cum tamen non potuerint sine gratiæ adiutorio, quod à naturali libertate distinctum est. Duplex enim potestas est, completa, & incompleta. Completa est, quæ ex insitis naturæ viribus simul & adiutorio componitur: incompleta, quæ seorsim ab adiutorio gratiæ in solis liberi arbitrii viribus (habitum non excludimus) constituta est. Quando ergo toties Augustinus dicit, per liberum arbitrium Adamum & omnes Angelos permanere potuisse, & bonos Angelos in veritate stetitisse, de potentia incompleta loquitur, nec tamen falsum loquitur. Nemo enim certissimam locutionem esse neget, qua dicimus, hominem per sanos oculos videre posse; quamvis id non possit sine lucis auxilio: & per intellectum res propositas percipere posse; quamvis id non possit, nisi phantasmata & species juvent. Quod in alijs plerisque potentijs, quando sanæ sunt, similiter locum habet. Plerumque enim aliquid extrinsecum præter internam potentiam sanitatem, necessarium est, sine quo suas actiones exercere non possunt, sive medium rectè dispositum illud fuerit, sive species respectu sensuum, sive aliud quippiam, sine quo simul auxiliante naturalis illa & sana potentia non solet operari. Vidit hoc & notavit etiam Augustinus. Cum enim Pelagius diceret, Nos habere ad non peccandum forte ac firmum liberum arbitrium, quale videlicet in Adamo recenter condito fuit, satis animadvertit Augustinus, non inde gratiæ diviniæ negationem rectè colligi, eo quod phrasibus ista possit esse vera, quamvis gratia esset ad

A non peccandum necessaria. Cum ergo Augustinus gratiæ negationem Pelagio imposuisset, ita subiicit: Quod ne existimemur de illis Epist. 106. ad temere suspicari, & fortassis quis dicat, sic eum sententia Paulin. tunc forte ac firmum ad non peccandum liberum arbitrium (quamvis sine Dei gratia id efficere atque adimplere non possit) sicut sanos oculos firmos dicimus ad videndum, quod tamen nullo modo facere possunt, si desit lucis auxilium; alio loco quid diceret, vel quid putes, ostendit. Cui doctrinæ consonat, quod in libro de natura & gratia scribit: ubi cum similiter Pelagius nos natura insitam non peccandi possibilitatem, hoc est, potestatem habere dixisset: Si iste, inquit, qui hunc librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primò incorporata & salva condita est, utcumque acceptaretur hoc dictum. Quod paulo antè sanorum pedum similitudine declaraverat: de homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit, nolit, habet ambulandi possibilitatem, id est, potestatem; contractis verò, si velit, non habet. Vbi quod (tolerabiliter & utcumque) dicit, eò respicit, quod Pelagius illam possibilitatem inseparabiliter insitam esse statuisset. Locutiones igitur istæ verissimæ sunt; quia ipsa sanitas potentiarum est etiam potestas earum: quæ sublata, potestas tollitur, ut merito id quod antea sanæ poterant, jam imbecilles ægritudine non amplius posse dicantur. Hinc est enim, quod nemo rectè dixerit, cæcum si velit posse cernere, hominem fractis pedibus posse ambulare, præcis digitis posse pingere; quod antea rectissimo loquendi modo posse dicebantur, quamvis sine luce, aut calamo, aut quovis alio subsidio, id efficere & adimplere non possent. Cum ergo liberum arbitrium primi hominis & Angelorum in illa primæ felicitatis præstata summa integritate & sanitate frueretur, rectè & merito posse Deum diligere, posse bene vivere, posse perseverare dicebatur; quamvis ea sine diviniæ gratiæ velut lucis auxilio præstare non possent. Ipsa quippe integritas atque sanitas erat potestas ejus, qua per peccatum sententiæque concupiscentiæ inimitatem læsa atque corrupta, nullo modo amplius id quod ante poterat posse dicendum est, nisi antè per potentissimam alterius gratiæ medicinam, omni omnino languore sanato, tota infirmitas auferatur, & ita ipsum posse reddatur. Tunc enim iterum verissimum erit id quod de primo, & sano, ideoque fortissimo homine Augustinus dixit: In natura posse, & in potestate habere velle, & non consentire suadenti. Et ne quis in gratiæ præiudicium traheret id quod de incompleta illa potestate sine scrupulo dictum, & verissimè dictum fuerat, & tamen sine gratia Dei, velut sanorum oculorum luce, actu adimplere non poterat, mox attextit: Adiuvente tamen illo, qui superbi resistit, humilibus autem dat gratiam.

CAPVT XVI.

Perseuerantia, & merita in statu innocentiae humanae
& Angelicae non fuerunt specialia
Dei dona.

DONVM speciale vocamus hic, quod Deus per speciale gratiae adiutorium donat, non solum ita, ut sine illo libertatis arbitrium id non possit habere, si velit, vel illo adjuvante possit habere, si velit; sed etiam, ut per illud ipsum velit. Tunc enim Deus per istud adiutorium ipsum velle donando, donat & meritum, & huiusmodi donata merita continendo, ipsam etiam in bono perseuerantiam donat. Ex qua specialis doni explicatione liquet, quid ad quaestionem istam iuxta Augustini mentem responderi debeat. Manifeste quippe patet, neque merita, neque perseuerantiam Adamum aut Angelos à Deo speciali huiusmodi dono accipere debuisse, neque re ipsa sanctos Angelos accepisse. Nec sane opus est, doctrinam istam iterata laboriosaque argumentorum coacervatione stabilire. Nam quidquid de fortissimis illis primae libertatis viribus toto capite septimo, octavo & nono diximus, hanc ipsam veritatem ex Augustini sententia directè probat, propter quam etiam statuendam illa ab Augustino toties inculcata fuit. Si enim per liberi arbitrij vires Adam & Angelus iuste vivere potuit, & in iustitia, in qua collocatus fuerat, permanere, ut ibi multis Augustini auctoritatibus constituimus; profectio neque iusta vita, neque perseuerantia eis erant à Deo speciali donatione largienda. Hoc ipsum enim, & non aliud spectat Augustinus tantarum primae libertatis virium commendatione, ut intelligamus, non fuisse necessarium, ut Deus eis ipsum velle donaret, qui volendi sufficientissimam facultatem dederat; ut non ab alio, quam ab ipsa integerrima, non impedita; fortissimè volendi potestate peteretur: utpote qua tunc ita erat libera, ut bene velle posset & male, non de futuro Dei adiutorio, sine quo bene velle non poterat.

De correptione
& gratia. c. 11

Rursum igitur, cum talis esset istius divini adiutorij conditio, ut non esset quo opus fieret, sed sine quo non fieret, ut supra fuisse ex sanctissimi Doctoris doctrina demonstravimus; quicquid de illius adiutorij natura c. 14. & super diximus, hoc ipsum ex professo probat. Nec enim alia de causa duplicis istius adiutorij districum, quo & sine quo non, ab Augustino traditum & inculcatum fuit, nisi ut liquidò perciperemus, Deum neque donasse sanctis Angelis merita vel perseuerantiam meritorum, neque Adamo donare debuisse per illud speciale auxilium, quo fit ut liberum arbitrium velit: sed ex ipsa ipsorum libertate suspensisse, ut si vellet, non tamen sine adiutorio

A suo, haberet meritum, si vellet itidem, non sine adiutorio suo, haberet perseuerantiam meritorum. Haec enim ipsissima est natura istius duplicis adiutorij, ut illo, quod eis datum fuit, adjuvante, haberent posse, si vellet; velle verò in ipsorum relinqueretur arbitrio: altero verò, quod lapsis datur, adjuvante, habeant simul & velle, quod possunt, & posse, quod volunt.

Quae quidem quamvis ex ijs, quae supra constituimus, lectori memori satis superque perspecta sint; quia tamen in credendis rebus insolitis, & inveteratam opinionem ferientibus, certissimis & adamantinis ratiocinationibus homines diffidere solent, ipsum Augustinum in subsidium advocemus, ut hanc eum vidisse doctrinae suae connexionem, adeoque verbis apertissimis tradidisse, non solum ratiocinando videamus oculis, sed quodammodo

B palpemus & manibus. Sic ergò de perseuerantia liberi arbitrij in bono loquitur: *Habens virtutem liberi arbitrij (ad perseuerandum) quamvis non desaturo adiutorio Dei, sine quo non posset perseuerare, si vellet; non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet.* Ecce apertissimè dicit, non habuisse tale adiutorium Adamum, quo Deus operaretur velle perseuerantiam, hoc est, quo ei donaret perseuerantiam, quae non nisi volendo donari & haberi potest. Et cur non fuit ei illud perseuerantiae donum collatum à Deo? Nimirum, quia non erat opus, ut tanto Dei adiutorio ac dono voluntas illa sanissima, fortissima, liberissima muniretur: *Cum in natura posse, & illo adjuvante, in potestate haberet velle.* Hoc enim ipse Augustinus statim quali praecipuo subijcit: *Fortissimo quippe dimisit, atque permisit, facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissime quod bonum est vellet, & hoc deservere invictissime nollent.* Et adhuc longè apertius paulò superius in eodem loco expressis verbis dicit, idèd non accepisse Adamum hoc donum Dei, hoc est, accipere non debuisse, quòd tales haberet vires voluntatis, ut meritò & perseuerare & non perseuerare in eius relinqueretur arbitrio: hoc est, ut alterutrum sua sibi merita libertate donaret, vel solà, si caderet, vel Dei adiutorio (sine quo stare non poterat) simul adjuvante, si staret. Sed ipsa ejus efficacia divinaque verba; quavis explicatione clariora audiamus: *Vt ergo non acciperet (id est, ut non opus esset accipere per adiutorium quo) hoc donum Dei, id est, in bono perseuerantiam primus homo; sed perseuerare vel non perseuerare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntatis, quae sine illo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se*

Lib. de gratia

ad l. 11

Lib. de gratia

ibid.

ex se

63
 ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tan-
 ra bonitati, & bene vivendi facilitati, perseverandi
 committeretur arbitrium. Quasi diceret, magni-
 tudo libertatis & potestatis, ut non acciperet
 perseverantiam, in causa fuit: quæ non po-
 stulabat, ut ei tale donum Deus peculiari adju-
 torio largiretur: sed cum dedisset ei adju-
 torium, sine quo non posset perseverare, si vellet;
 ut vellet (sicut paulò ante ipse Augustinus di-
 cit) hoc est, ipsum velle perseverare, & per
 hoc, ipsam perseverantiam in eius libero reliquit
 arbitrio. Quod non aliud est, quàm si diceret, dato
 ei adjuutorio, sine quo velle & perseverare non
 poterat, non ei perseverantiam dedit, sed ejus
 libertati, volendi & nolendi, perseverandi &
 non perseverandi optionem dedit, ut utrum
 vellet, eligeret. Quod ipsdẽm pœnè verbis
 alibi etiam Augustinus expressit: Sic ergo fa-
 ctus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine
 posset non sine adjuutorio divino, & suo fieri perversus
 arbitrio: & utrumlibet horum elegeret, Dei voluntas
 fieret, aut etiam ab illo, aut ceterè de illo.

Quod si perseverantiam peculiari dono non
 acceperunt Angeli à Deo, neque Adam acce-
 pisset, si in iustitia permanisset, de singulis
 meritis idem longè potiori ratione sentiendum
 est. Nam nisi Augustinus omnia principia do-
 cetrinæ suæ superiùs tradita retractare velit,
 cogitur merita status innocentie non speciali
 dono Dei, sed arbitrio libertatis ascribere.
 Hoc enim similiter, & non aliud volunt illa
 quæ toties repetivit, per liberum arbitrium
 Angelos permanisse, & Adamum permanere
 potuisse. Nec enim aliud Angelorum aut Adæ
 meritum fuisset aut fuit, quàm in iustitia, in
 qua conditi fuerant permanere, ut sapissimè
 Augustinus docet. Vnde illud Genesios: Ve
 operaretur, & custodiret illum, de Adamo ex-
 plicans: Ex eo autem quod additum est (& custo-
 diret) significatum est, qualis illa operatio erat.
 Namque in tranquillitate beatæ vitæ, ubi mors non
 est, omnis operatio est, custodire quod tenes. Et
 alibi: Donec istam summam beatitudinis plenu-
 ditatem tanquam præmium istius permanentionis acci-
 perent.

Sed nequis in sequendo principiorum ipsius
 filo nos fortè falli arbitretur, ipse potius Au-
 gustinus, juxta propria sua principia de me-
 ritis innocentie differens, audiendus est. Cum
 igitur omnia lapsi hominis merita divinæ gra-
 tiæ merita largienti tribuisset, ne gloriaretur
 omnis caro coram Deo, ita consequenter de
 meritis primi hominis loquitur: Vnde autem
 non gloriatur caro, coram ipso, nisi de meritis suis?
 qua quidem potuit habere, sed perdidit; & per quod
 habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum
 arbitrium: propter quod non restat liberandis nisi gra-
 tia liberantis. Ecce difertis verbis omnis do-
 cetrinæ supra prolatae consonis, & propter an-
 tithesis adjectæ lucem, omni expositione cla-
 rioribus dicit, Adamum per idem liberum ar-
 bitrium, per quod perdidit meritum illud ha-
 bere potuisse; & idcirco idem illud meritum,
 quod antè per liberum arbitriũ habere potuit,
 nunc per gratiam liberantis esse largiendum,

A Nam quamvis & Adamo divinæ gratiæ non
 defuerit adjuutorium, non tamen illa dedisset
 meritum, ut nunc facit: sed ita juvisset, ut
 sine illo, etsi voluisset, nihil boni meriti ha-
 bere potuisset. Et illa ratio est, cur istud me-
 ritum Adami suum vocat: nimirum quia suã
 sibi illud libertate ad habendum potius meri-
 tum (etsi non sine gratia) quàm demeritum
 sese flectente peperisset; quod nunc ipsa gratia
 in libero arbitrio parit. Qua de causa istud
 Adami meritum alibi humanum vocat; quia vi-
 delicet erat opus hominis per liberum arbi-
 trium (quamvis non sine gratia) sibi metip-
 si tribuentis; non gratiæ largientis donum: Hu-
 mana sic merita constituant, quæ perierunt per Adamum
 & regnet, quæ regnat, Dei gratia per I E S U M
 Christum Dominum nostrum. Eandem doctrinæ
 suæ veritatem & consonantiam & alijs non
 paucis locis tradit. Nam quod paulò antè di-
 centem audivimus, per liberum arbitrium,
 per quod habere potuit, meritum perijisse, hoc
 in eodem libro paulò aliter eodem sensu dicit:
 Nunc autem per peccatum perditò bono merito, fa-
 ctum est donum gratiæ. Et in octoginta tribus
 quæstionibus: Cum ergo meritum peccando ami-
 serimus &c. quid sibi vult homo de hac massa, ut Deo
 respondeat, ac dicat: Quare me sic fecisti? Et in
 libris de Genesi ad litteram: Hoc enim (spiri-
 tale corpus) præmium est illius meriti, quod ami-
 sit. Idcirco autem amisit dicitur meritum,
 quia fortissimam illam arbitrij libertatem &
 potestatem perdidit, per quam poterat sibi
 meritum non tamen sine gratia adjuvante pa-
 rere: quod nunc non potest; sed ei meritum
 per ipsam gratiam dari, & ipsi arbitrio volun-
 tatis inseri debet. Qua de causa dicit alibi:
 Convenientissimum, & ordinatissimum apparet, ut
 malum meritum prioris (id est Adami) natura se-
 quentis sit (quia nascimur naturã filij iræ) &
 bonum meritum sequentis, natura prioris sit. Vbi
 meritum Adæ naturam vocat, quia per na-
 turam haberi poterat, seu per naturalem in
 creatione datam arbitrij libertatem, gratia
 non dante illud, ut fieret, sed tantummodo
 adjuvante, ut sine illa non fieret. Hinc ean-
 dem suam doctrinam evidentius, & radicem
 diversitatis illius tangens, expressit alibi: Pri-
 ma gratia est, quæ fit ut habeat homo iustitiam, si
 velit. Secunda ergo (post lapsum) plus potest, quã
 etiam fit, ut velit. Vbi per iustitiam intelligit
 opus iustum, hoc est, meritum, phrasi Apo-
 stolicã, quam Augustinus sexcenties in scriptis
 suis imitatus est, plerumque per iustitiam opus
 iustum intelligendo: Vnde illa creberrimã:
 Operari iustitiam: & si per legem iustitia, ergo gra-
 tia Christus mortuus, & similia, de quibus suo
 loco tractandum erit. Quamvis res ipsa hoc
 loco per se clamet, iustitiam hic opus iustum
 esse, seu meritum. Nam habitualement iustitiam
 iam Adam antea cum dono suæ creationis ac-
 ceperat. Itaque hoc est quod dicit, tale adju-
 torium gratiæ Adami fuisse datum, ut iusti-
 tiam præcepto sibi præstitutam, hoc est, opus
 iustum ac meritorium habere posset, si suã li-
 bertate, gratiã simul influente, vellet; post
 lapsum

In Enchir.
 1. 107.

Genes. 2.

Lib. 2. de
 Genes. haur.
 Macchi.
 1. 11.

De corp.
 & grat. c. 10.

ibid. c. 12.

De predest.
 55. c. 15.

De corp.
 & grat. c. 11.

Quæst. 68.

Lib. 6. de
 Genes. ad
 litt. c. 27.

Lib. 3. de lib.
 arb. c. 20.

De co. esp.
 & grat. c. 18.

LIBRARIUS

LIBRARIUS

Cap. 106.

lapsus verò, gratiam, hoc ipso quo facit, ut homo operari velit, etiam donare iustitiam. Quod etiam significavit illis præclaris verbis in Enchiridio: *Illam (primam immortalitatem) natura humana perdidit per liberum arbitrium, & hanc (secundam immortalitatem) est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum: quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset &c.* ubi per oppositionem gratiæ & meriti idipsum, quod hic tradimus, significatum voluit: nunc videlicet ipsa merita per gratiam libero arbitrio dari; cum antea per ipsum liberum arbitrium non sine gratia proferrentur: & ideo primi status meritum esse propriè meritum; secundi status esse gratuitum donum.

Hinc etiam oritur, quòd idem Augustinus docet, in statu innocentia sicut propriè ipsorum hominum fuisse meritum, ita coelestem beatitudinem quoque ipsorum futuram fuisse mercedem: nunc verò non minùs futura vitæ mercedem, quàm hujus meritum esse gratiæ largientis donum. Nam inter meritum & mercedem est quidam respectus mutus, & naturalis quædam dependentia; unde nascitur, ut id quod in uno reperitur, in alterum redundet. Vtrumque autem habet quandam oppositionem ad gratiam, seu gratuitum donum. Nam quo meritum majorem includit & supponit gratiam ejus, à quo merces ejus expectanda est, tanto minùs rigorosè iustitiæ meritum est: & è contrario, quo aliquid magis gratis datur, eo mercedis ratio minùs est rigorosa. Merces enim id propriè est, quod operi, sive merito ex iustitia debitum est, juxta illud Apostoli: *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia non est gratia.* Hoc est, si aliquid gratis alicui datur, jam non datur ex operibus, sive meritis; quia meritum repugnat quodammodo gratiæ. Vnde & alibi idem Apostolus: *Ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum:* quasi diceret, qui opus aliquod ex se facit non donatum sibi per gratiam alterius, illi merces datur, non ut gratuita, sed tanquam debita; quia merces est id quod debetur: unde ut tale, sub illa consideratione, repugnat gratiæ. Augustinus igitur hac mercedis & meriti consideratione perpensa juxta illam Apostolicam definitionem docet, post lapsus hominis beatitudinem sic operù nostròrum mercedem esse, ut simul sit gratia, seu gratuitum donum, juxta illud Apostoli: *Gratia Dei vita æterna: nempe, quia merita quibus illa redditur, gratuita Dei dona sunt: Si vita bona nostra, inquit, nihil aliud est quàm Dei gratia, sine dubio & vita æterna, qua bona vita redditur, Dei gratia est. Et ipsa enim gratis datur; quia gratis data est illa, cui datur.* Sed è contrario quando de præmio me-

Rom. 11.

Rom. 4.

Rom. 6.

Lib. de grat. & lib. arb. t. 8.

ritorum primi hominis & Angelorum mentionem facit, solummodo mercedem vocat, nunquam gratiam; sed potius gratiam esse negat: non quod profus nullam ad merita eorum agnoscat concurrisse gratiam, sed quia non fuerunt eis, sicuti nobis, gratià Dei liberalitate donata; sed ex propria eorum libertate, quamvis non sine Dei gratia, promanarunt. Sic ergò loquitur: *Quæ futura erat homini, (scilicet confirmatio liberi arbitrii per gloriam) sicut facta est, & Angelis sanctis, merces meriti. Nunc autem per peccatum perditum bono merito, in his qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Hinc nomen meriti, præmij, & mercedis in Angelis & primo homine de industria & liberè usurpat: Donec istam summam beatitudinis plenitudinem tanquam PRÆMIUM istius permansionis acciperent. Et rursum: *Si per liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine alio moris & infelicitatis experimento, acciperet illam MERITO huiusmodi permansionis beatitudinis plenitudinem.* Et aliquanto post: *Profectò eius culpa est, cuius MERITUM fuisse, si permanere voluisset.* Et iterum: *Sicut fecerant Angelis sanctis qui huius mansionis debitam MERCEDEM accipere meruerunt.* Et alibi de istis Angelis: *Quæ libertas voluntatis in illis primo conditionis præstantia, quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam pervenire MERUERUNT.* Post casum autem hominis non nisi ad GRATIAM suam Deus voluit pertinere &c. Quibus omnibus locis, nominibus meriti, præmij, & mercedis, quandam ad gratiam seu ad gratuitum donum antithesin seu oppositionem indicatam voluit, quam in ultimo illo loco tetigit, & clarissimè in Enchiridio explicuit: *Hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat si non peccasset, acceptura per meritum: quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset.* Quæ quid sibi velint, jam supra, explicando diversum in utroque adjutorio concurrèndi & adjuvandi modum, non semel diximus.

ritorum primi hominis & Angelorum mentionem facit, solummodo mercedem vocat, nunquam gratiam; sed potius gratiam esse negat: non quod profus nullam ad merita eorum agnoscat concurrisse gratiam, sed quia non fuerunt eis, sicuti nobis, gratià Dei liberalitate donata; sed ex propria eorum libertate, quamvis non sine Dei gratia, promanarunt. Sic ergò loquitur: *Quæ futura erat homini, (scilicet confirmatio liberi arbitrii per gloriam) sicut facta est, & Angelis sanctis, merces meriti. Nunc autem per peccatum perditum bono merito, in his qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Hinc nomen meriti, præmij, & mercedis in Angelis & primo homine de industria & liberè usurpat: Donec istam summam beatitudinis plenitudinem tanquam PRÆMIUM istius permansionis acciperent. Et rursum: *Si per liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine alio moris & infelicitatis experimento, acciperet illam MERITO huiusmodi permansionis beatitudinis plenitudinem.* Et aliquanto post: *Profectò eius culpa est, cuius MERITUM fuisse, si permanere voluisset.* Et iterum: *Sicut fecerant Angelis sanctis qui huius mansionis debitam MERCEDEM accipere meruerunt.* Et alibi de istis Angelis: *Quæ libertas voluntatis in illis primo conditionis præstantia, quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam pervenire MERUERUNT.* Post casum autem hominis non nisi ad GRATIAM suam Deus voluit pertinere &c. Quibus omnibus locis, nominibus meriti, præmij, & mercedis, quandam ad gratiam seu ad gratuitum donum antithesin seu oppositionem indicatam voluit, quam in ultimo illo loco tetigit, & clarissimè in Enchiridio explicuit: *Hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat si non peccasset, acceptura per meritum: quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset.* Quæ quid sibi velint, jam supra, explicando diversum in utroque adjutorio concurrèndi & adjuvandi modum, non semel diximus.

Phrases istas, occultamque doctrinam ijs comprehensam ad amulsum sanctus Prosper imitatus est. Nam cum dixisset Angelicæ fuisse voluntatis, quod staret, similiter adjicit: *At merito sua stabilitatis in æternum felices effecti, de sua permansione securi sunt.* Et in libro sequente luculentius: *Ve qui posse non mori acceperant in natura, non posse mori consequerentur in gloria: & ibi accepturi essent præmium non posse peccare, si hic eorum meritum fuisse peccare noluisse.* Et contra Collatorem: *Posset in bonis, quæ naturaliter acceperat, perseverare quia vellet, & MERITO VOLUNTARIÆ perseverantia in eam beatitudinem pervenire, ut nec vellet decidere in deteriora, nec posset.* Quibus locutionibus idem omninò quod Augustinus lectori insinuare conatus est.

CAPVT XVII.

Solvitur locus Augustini ex libro de Correctione & gratia.

Sed quamvis ista juxta Divi Augustini A mentem omnino vera sint, & omnibus principijs ejus supra declaratis prorsus consentanea: nonnulla tamen non levis ponderis argumenta, quæ ex ipso petuntur Augustino, dissolvenda sunt; ne quis minus peritus doctrinæ ipsius aliquâ verisimili verborum contrarietate turbetur, sicut quidam non infimæ eruditionis viri per illa perpetuam intellecta turbati, & in transversum acti sunt. Præterea illa eorum argumenta ex Augustino, quæ primo homini gratiæ adjutorium necessarium fuisse probant, & à nobis superius magna ex parte producta sunt. Nam ista nihil ad scopum eorum & rem præsentem faciunt. Non enim hoc loco de gratiæ necessitate quaritur, quam ex Concilio Arausicano tanquam Catholicæ fidei dogma supponimus: sed de illa gratia quaritur, quæ Deus meritum vel perseverantiam non hominis vel Angeli relinquit arbitrio, quamvis per gratiam adjuto, sed ipsi libertatis arbitrio speciali donatione largitur; non ei ut mereatur aut perseveret cum illa gratia committendo: sed ut mereatur & perseveret per ipsam gratiam invictissimè faciendo. Illis igitur & similibus argumentis quæ ad rem propositam nihil faciunt prætermittis,

Opponitur primò ex Augustino locus ex libro de correctione & gratia capite decimo, ubi Augustinus dicit de homine primo, ait scriptor quidam recentior: *Non habuit perseverantiam, & si non habuit, non itaque accepit.* Supponens non potuisse illam habere, nisi acceptam per efficacis videlicet gratiæ donum. Ita ille. Putat enim Augustinum verbis istis significasse, quòd Adam idèò non habuerit perseverantiam, quia eam non acceperat à Deo; qui eam per efficacem gratiam in Adam, quemadmodum & in hominibus lapsis debuerit efficere operando in eo velle atque perficere. Quod si Augustinus voluit, tollitur profectò funditus discrimen istud, quod nos hætenus ex eo testimonij asseruimus. Mirarer sane scriptoris illius, in re tanta, vel incuriam vel somnolentiam, nisi jam sæpius experientia comperissem, eam pluribus non infimæ notæ viris in Augustino volutando contigisse. Nam ita persuntoriè doctrinam ejus nonnulli consulant, vel percurrunt, ut in capitalibus doctrinæ articulis, ubi de summa rerum agitur, utrum videlicet Christiani, an Pelagiani simus, argumenta & pronuntiata Pelagianorum tanquam Augustini doctrinam amplexi fuerint. Cujusmodi hallucinatio quantas in totam reliquam doctrinam eorum perturbaciones necessariò secum inferat, nemo non

videt. Idem scriptori isti hoc loco contigit. Nam objectionem, quam sibi Augustinus Pelagianorum vel errantium nomine proposuerat & summis postea disputandi viribus redarguit, tanquam traditam ab eo veritatem accepit: idque in re tanti momenti, ut si verum sit, quod scriptor ille putat, non solum discrimen supra traditum, sed universam Augustini doctrinam, quam illo libro & alijs plerisque de gratia divina tradidit, uno ictu succisam correre necesse sit: imò omnia etiam Christianæ gratiæ fundamenta subverti. Quod partim ex ijs quæ dicta sunt, partim ijs quæ postea latius tradituri sumus, per se facile intelligetur.

Dico igitur, Augustinum illo in loco nequaquam asserere, vel supponere, quòd Adam non potuerit perseverantiam habere, nisi acceptam à Deo per speciale auxilium, quod ille scriptor *efficax* vocat: Sed cum per aliquot capita præcedentia magno conatu demonstrasset, perseverantiam esse donum Dei, quod prædestinatis filijs suis ipse largitur, reliquis verò, qui non sunt à perditionis massa discreti iusto judicio negat; tandem capite decimo objectionem eorum proponit, qui isti Catholicæ doctrinæ nolunt acquiescere in hunc modum: primus homo vel habuit perseverantiam, vel non habuit: si habuit, ergò perseveravit, & consequenter non peccavit: sed constat eum peccasse, & non perseverasse; ergò non habuit perseverantiam. Hæc est una pars dilemmatis: jam subjungit alteram: *si non habuit primus homo perseverantiam in bono, non usque accepit à Deo; quia si accepisset, re ipsa perseverasset.* Quòd si non accepit à Deo perseverantiam, ergò non perseverando non peccavit: quia non potest hic dici, sicuti de hominibus lapsis, quòd suâ culpâ non acceperit à Deo perseverantiam, eò quòd in materia damnationis constitutus, iuste ab ea non fuerit gratiæ largitate discretus. Hoc est totum argumentum ex Augustino petitum: quod directè in illum collimat scopum, ut adducto hominis primi & innocentis exemplo, evertat illam sententiam Augustini, quæ docuerat perseverantiam esse donum Dei, quòd idèò tantummodo iuste non omnibus datur, quia ab origine damnationis rei sint. Quod ipsa sancti Augustini verba satis per se, si cum attentione lecta fuerint, patet acient: Nam primò, ut nemo vel tardissimus falli posset, ita disertis veris proponit generaliter questionem de primi hominis perseverantia: *Hinc exoritur alia questio Lib. de corr. non sane contemnenda, sed in adiutorio Domini, in grat. eius manu sunt & nos & sermonis nostri, negre cap. 10. dicenda, atque solvenda. Quaritur enim à nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quòd est in bono per seve-*

perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine A
sentiamus, qui certe sine ullo vitio factus est rectus: &
proinde dici non potest, perseverantiam gratiam
ei à Deo propter originis seu massæ damnatæ
labem, esse denegatam. Et cum ab illa qua-
sitione aliam distinxisset, quæ non erat ad pro-
positum ejus, iterum eandem clariùs explica-
tiusque proponit: Sed ill. d. inquit, magis qua-
rendum, operosiusq; tractandum est, quomodo responde-
mus eis qui dicunt: Si in illa rectitudine, ut qua sine vitio
factus est, habuit perseverantiam, procul dubio perseve-
ravit in ea. Et si perseveravit, utique non peccavit &c.
Eum autem peccasse, & desertorem boni fuisse, ve-
ritas clamat: Non ergo habuit in illo bono perseve-
rantiam, & si non habuit, non utique accepit: Quo-
modo enim & accepisset perseverantiam, & non perse-
verasset? Porro si propterea non habuit quia non
accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perse-
verantiam non accepit? Neque enim dici potest, ideo
non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis
gratia largitate. Nondum quippe erat illa in genere
humano perditionis massa antequam peccasset, ex quo
tracta est origo vitiatæ. Hæc Augustinus tam
perspicuè ex persona adversarij, vel proponen-
tis questionem operosius tractandam loquens,
ut non videam quomodo in tam evidenti luce
aliquis secutire possit. Hanc igitur objectionem,
quæ est inimicorum gratiæ Dei, ita dissolvit
Augustinus, ut ex professo longissimâ doctissi-
mâque oratione sententiam è diametro repu-
gnantem illi tradat, quam scriptor iste ex ejus
scriptis se hausisse crediderat. Docet enim non
fuisse necesse, ut Adamus perseverantiam à
Deo acciperet, eo quod cum tantis liberi
arbitrii viribus creatus esset, ut per illas (gratia
tamen adjutus, sine qua perseverare nonpo-
terat) facile posset perseverare si vellet, etiamsi
Deus in eo per peculiare adjutorium ac donum
gratiæ non operaretur, ut vellet: Quam ob
causam, si non permansit in bono, non culpam C
Deo perseverantiam non donantis, sed ipsi Ada-
mo esse tribuendam, qui ipse noluit perseve-
rare, cum posset. Ex quo sequebatur, fixam
& stabilem permanere doctrinam suam, qua
docuerat, culpabiles esse eos, qui postquam in
damnationis massam inciderunt, non perse-
verant, tametsi ipsum perseverantiæ donum,
sine quo perseverare non possunt, à Deo non
acceperint. Iste est verus Augustini in illo li-
bro & libri loco sensus & scopus. Sic enim sta-
tim immediatè post verba quæ citavimus, illam
objectionem supra positam aggreditur: *Qua-
propter saluberrimè consistemur quod rectissime cre-
dimus, Deum sic ordinasse Angelorum & hominum
vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum li-
berum arbitrium: deinde, quid posset sue gratiæ be-
neficium, iustitiæque iudicium. Quibus verbis sta-
tim ipsum fontem quasi digito ostendit, unde
illa diversitas gratiæ, quæ primùm Angelis &
Adamo, deinde potentior hominibus lapsis D
data est, nascitur. Nempe, quia Deus fortis-
simum & liberrimum arbitrium creaturis suis
innocentibus tribuendo, experiri voluit, quid-
nam posset illud liberum arbitrium, seu, ut
perse. s. 7. alibi loquitur, quid valeret illa libera voluntas*

*Lib. de corr.
& grat. c. 10*

*Lib. de dono
perse. s. 7.*

in illa prima conditione præsantia: ut si ex iustitia
collata libero suo flexu cecidisset, & sese ipsa
perpetua peccati servitute damnasset, tunc
demum experiretur, quid ipse posset per effi-
cacissimæ suæ gratiæ auxilium, ipsum quod
ceciderat arbitrium liberando; vel certe illud
sine spe liberationis iusto iudicio conden-
nando. Cum verò hic statim occurreret, utrum
igitur illa prima libertas voluntatis tanti sus-
set ponderis, ut sine ulla Dei gratia perseverare
potuisset, responderet initio capitis 11. omnino
etiam isti forti libertati gratiam fuisse neces-
sariam, sed longè disparem ei quæ jam lapsis
datur. Hujus autem diversitatis rationem ex
eo petit, quod Adam in bonis erat. lapsi in
maus: Proinde quod ille non opus habebat eo ad-
iutorio, quod implorant isti, qui dicunt: Video aliam
legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ:
hoc est, quod ille nulla tali rixâ internâ à seipso
adversus seipsum tentatus atque turbatus suâ
pace frueretur, nec ullo modo tam potenti in-
digret auxilio, quo, cum illo interno hoste, hoc
est, secum pugnare posset & vincere. Ex hac
igitur radice fluit illa diversitas adjutorij,
quod utriusque arbitrio pulcherrimæ, iustissi-
mæ, & accuratissimæ proportionis lege con-
temperatū fuit. Adamo enim & Angelis tanquâ
torulissimâ libertate præditis, quæ instar bi-
lancis in æquilibrio collocata nullo deorsum
pondere gravabatur, dandum erat adjutorium
gratiæ, cum qua seipsum possent, & sine qua
non possent, in iustitia conservare, si vellet;
ut ita facillimè se possent solo nutu in utram-
libet partem flectere: lapsis verò, quorum ar-
bitrium jam iustitia exutum durissima concu-
piscentiæ servitute premebatur, potentius ad-
jutorium dandum tuit, quo illa concupiscen-
tiæ servitus frangeretur, arbitrium erigeretur,
& liberaretur, & in iustitia collocatum adver-
sus omnes tentationes invictissimè munitur.
Hinc est, quod capite duodecimo illud pri-
mum vocat adjutorium sine quo non; istud verò
adjutorium quo. Cujus diversitatis filium se-
quendo iterum iterumque inculcat, homini-
bus jam lapsis tanquam infirmis non am-
plius perseverandi potestatem, ut olim, per
adjutorium sine quo non poterant perseverare,
seu ipsam met perseverantiam per adjutorium
quo esse donandam: Fortissimo quippe, inquit, Cap. 11.
dimisit atque permisit (cum adjutorio liceret sine
quo non) facere quod vellet: infirmus servavit, ut
ipso donante, per adjutorium quo, invictissimè
quod bonum est vellet, & hoc deserere invictissimè
nollet. Et ut omnis tergiversandi ansa tolle-
retur, & sine ambiguitate ostenderet, qua de
causa, & quo scopo, prolixam illam disputa-
tionem suscepisset, perspicuis & expressis ver-
bis dicit, non accepisse Adamum perseverantiâ
à Deo, sed ipsimet propter magnitudinè viri-
perseverandi & non perseverandi arbitriū fuisse
committum: *Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, nisi
id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perse-
verare vel non perseverare in eius relinqueretur arbi-
trio, tales vires habebat eius voluntas, qua sine ullo
suerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipsa concu-
piscentiæ,*

psentialiter resistebat, ut digne tanta bonitati, & A
bene vivendi facilitati: perseverandi committeretur ar-
bitrium. Hæc est genuina sententia sanctissimi
Præfatis, directè & capitaliter ei repugnans
hallucinationi, quæ Scriptor iste, Pelagianam
objectionem pro solutione Augustini arripien-
do, existimavit ab eo suppositum fuisse, quod
Adam non potuerit habere perseverantiam,
nisi eam à Deo donante accepisset. Hic scopus
Augustini genuinus in illa altissima doctissi-
maque disputatione trium capitū, qua veram
& immobilem basim collocat, cui universa
doctrina de Gratia Christi Salvatoris incum-
bit: quam qui non intelligit, ac disputationi-
bus quibuscunq; loco suo movere nititur, in
plurimarum hallucinationum consulti-nem inci-
dat, necesse est: ut non sit ullo modo miran-
dum, si, subtracto illo fundamento, tot alter-
cationibus doctrina de gratia lacerata sit, &
omnia, quæ recentiores pro suo quisque genio B
excogitata procuderunt, velut humanis incer-
titiq; suspitionibus nixa fluctuent. neque ullum
exitum in Augustini doctrina reperiant. Hæc
est enim vera clavis, qua aditus in scripta ejus
aperiendus est, & sine qua qui ea molitur in-
gredi, velut cæcus palpabit in meridie, ac tot
tantisq; difficultatibus implicabitur, ut quasi

monstris occurrentibus territus Augustinum
tanquam perplexitatibus, imo. ut quidam auli
sunt dicere, mille erroribus refertū aversetur.
Qui verò, plecto isto fundamēto, distinctionem
illam velut filum in labyrintho scriptorum
ejus secutus fuerit, mirabilis ei occurrit con-
textus rerum: respondent extrema primis me-
dia utriusque, omnia omnibus. In geometria
si prima dederis, danda sunt omnia: hic si duo
illa adjutoria stantis & lapsi, sani & a gri, in-
tegrī & fracti arbitrij amplexus fueris, omnia
velut ex ipsa re nata ita se consequuntur, ut
ipsa tanta rerum omnium cōcatenatio & con-
sonantia altissime clamet, ibi latere, vel potius
evidentissime patere veritatem: sin verò di-
stinctionem istam velut basim omnium sustule-
ris, omnium ruinā opprimēris. Quæ sanè ra-
tio est, cur eam Augustinus insinuatam quidem
sæpius, nunquam tamen aperte traditam tan-
dem in fine vitæ suæ luculentissime declara-
verit, tantoque conatu & asseverantia præter
morem suam asseruerit, ut eam verbis Apo-
stolicis ordiretur: *Quæ propter saluberrime con-
fitemur, quod rectissime credimus* &c. ut signifi-
caret nobis, verissimam, certissimam, & ma-
ximi ponderis se doctrinam tradere, de qua
nemini fas esset ulla ratione dubitare.

CAPVT XVIIII.

Solvitur alius Augustini locus ex libro duo-
decimo de Civitate Dei.

Var. lib. 10.
de grat. 59.
n. 6.
Eilat. lib. 2.
de grat. 5.
lib. 2. c. 17.
de ali.
V. sicut pri-
ma per. 2. p.
173: 4
Lib. 12 de
Civ. 1. 9.

SE d. alium opponit locum non solum A
Scriptor iste, sed plerique Recentiores,
ex libris de Civitate Dei, quo doctri-
næ istius jugulum petitur, si hoc ibi do-
cuerit Augustinus, quod ipsi putant. Sic enim
de Angelis loquitur: *Aut minorem acceperunt*
(Angeli mali) amoris divini gratiam, quam illi,
qui in eadem perseverant: aut si utriusque boni aqua-
liter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi
amplius aduti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde
se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.
Ex quibus verbis inferunt, non solum gratis
electos Angelos bonos præ malis, sed etiam
acceperunt majorem gratiam, auxilium videli-
cet efficax, ipsūque donum perseverantiæ,
quod non acceperunt Angeli mali. Neque
enim aliter videntur dici posse magis aduti, nisi
ut ex speciali Dei beneficio ac dono, alij præ
aliis ad beatitudinis plenitudinem pervenirent.
Quocirca cum ista doctrina hætenus ex ipso B
tradita tam perspicue repugnet, ut capita-
lem ictum infligere videantur, neque ullibi
legatur illum quem citavimus retractasse lo-
cum, non segniter explorandum est, num
etiam in ista, quemadmodum in superiori, ob-
jectione perperam intelligenda, quæ plerisq;
Recentiores abripuit, aliqua hallucinatione
fallantur. Dicimus igitur doctrinam, quæ istis
verbis Augustinus tradit, à re propolita esse re-
motissimam, neq; ad præsentem disputationē

posse sine absurditate torqueri. Quod ut à fun-
damentis intelligatur, sciendum est, Aug. se
se aliquando torisse mirum in modum qui fa-
ctum fuerit, ut cum omnes Angeli non modo
in bona voluntate, sive in Dei charitate, sed
etiam sapientes & beati conditi sint, alij tamen
de sua perpetua beatitudine certisint, sicut
sanctos Angelos esse certissimos, fides credit;
alij fuerint illius perpetuitatis, imo & sui ca-
sus, & permansionis incerti. Causa difficulta-
tis fuit, quod impossibile esse videretur, ut ali-
quis sit verè beatus, si beatitudinem illam ali-
quando desituram esse sciat vel non desituram
existimando fallatur, vel utrumque nesciendo
suspensus sit: cum & scientes timor, & ita ne-
scientes error, & hæsitantes ipsa de tanta fel-
citate cunctatio benè beatos esse non sinat.
Beatos esse sanctos Angelos cum præscientia
suæ perpetuæ permansionis credimus: tales
autem fuisse demones ante casum suum, credi
non potest; & tamen aliquam eos habuisse bea-
titudinem sui casus & permansionis incertam,
rectissime creditur. Unde igitur ista istius præ-
scientiæ & ignorantia in utriusque diversitas?
An ex diverso creationis aut justificationis
beneficio? An ex merito? An forte ut olim
demones ita nunc Angeli sancti adhuc suæ
permansionis ignari sunt? Quæstio ista ab Au-
gustino scrupulosissime & prolixissime in libro
undecimo de Genesi ad litteram propter Ma-
nichæos

nichæos disputata fuit: ubi tandem, cum illius coarctatus angustijs se expedire non posset, post prolixissimam disputationem rem indecisam in quadrivio relinquit: *Nunc, inquit, sufficiat ista complexio; aut ab initio creationis sua diabolus à beatitudine, quam si voluisset percipere fuerat, impiâ superbia cecidisse; aut alios esse Angelos inferioris ministerij in hoc mundo, inter quos secundum eorum quandam non præciam beatitudinem vixerat, & à quorum societate cum sibi subditis Angelis suis tanquam Archangelus cecidit per superbiam impietatem; sed hoc nullo modo asseri potest, illud mirum si potest: aut certe ratio est requirenda, quemadmodum omnes sancti Angeli, si inter illos aliquando pariter beatus cum suis Angelis diabolus vixit, non habuerint etiam præscientiam perpetuæ felicitatis suæ, sed eam post casum diabolus cum socijs suis à ceteris Angelis discretus fuerit, ut ipse sui casus futurus esset ignarus, illi autem certi permanſionis suæ. Sed quod Augustinus de se adversus Pelagianos de divina gratia scribente proficitur: proficenter me existimo, Deo miserante, scripsisse; non tamen à perfectione capisse; hoc etiam in ista quæstione locum habuit. Nam aliquot annis post illam disputationem iterum eandem quæstionem libro undecimo de Civitate sibi proposuit, & adductis argumentis utrimque disleruit. Sed tandem cum istud sibi certum jecisset fundamentum, sanctos Angelos jam esse certissimos æternæ felicitatis suæ, malos verò antequam cecidissent, illius fuisse suæ permanſionis & perpetuitatis incertos, ad duo dumtaxat membra redegit fluctuationem suam: ut videlicet vel inæquales in gratia, & beatitudine, & permanſionis præscientia ab initio constituti fuerint; aut si æquales, ista præscientia & plenitudo beatitudinis bonis post casum demonum velut præmium permanſionis adveniret. Respondeo, inquit, ut aut impares fuerint, (scilicet in creatione sua) aut si pares fuerint, post illorum ruinam illi certam scientiam suæ certæ felicitatis accesserint. Sub finem verò vitæ, remota omni dubitationis incertitudine, definitam sæpius tulit pro illa postrema parte tanquam pro certa veritate sententiam. Nam in libro de correptione & gratia, qui inter scripta ejus retractata postremus est, ita rem definivit: *Ceteri**

Lib. 11. de Genesi ad lib. 6. 26.

Lib. de dono serv. c. 21.

Lib. 11. de Civit. c. 13.

Lib. de corre. & grat. c. 10.

stionis istius perplexitate, quæ tantopere eum torferat, sentiendum.

Ex his plenissime intelligi potest, quid sibi Augustinus velit in illo loco, qui ex libris de Civitate Dei nobis objectus est. Nimirum eandem illam in ista quæstione vacillationem suam, quam eum in lib. 11. de Civit. Dei duobus membris complexum esse narravimus, etiam istis verbis in libro duodecimo consignatam voluit: ut videlicet Angeli qui ceciderunt, aut in impari divini amoris gratia collocati fuerint, per quam fieret, ut ahj suæ permanſionis ignari, ahj certi fuerint: vel si in ea pares fuerint, illi suâ libertate ceciderint, hi permanſerint, & in præmium iustis permanſionis amplius adiuti præscientiam nunquam futuri sui casus acceperunt. Quo sensu manifestum est verba ista nihil penitus ad propositum pertinere. Loquuntur enim de adiutorio, quod per ipsam æternam felicitatem illâ permanſione promeritam, eis datum fuit; non de illo, quod eos perleverare faceret, & ad illam beatitudinis plenitudinem pervenire. Hunc esse verissimum & genuinum Augustini sensum ex multis capitibus patet. Nam primò quemadmodum in libro 11. bimembrem sententiam suam proposuerat, ita eodem prorsus modo & hic lib. 12. *Aut minorem acceperunt divini amoris gratiam, quàm illi qui in ea perseverant; aut si utrique boni æqualiter creati sunt, isti mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, inde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.* Quod enim in libro undecimo dixerat: *Aut im, ares fuerant;* hoc in præsentis loco dicit: *Aut minorem acceperunt divini amoris gratiam, quam illi scilicet.* Et quod in illo dicit: *Aut si pares fuerint, post illorum ruinam illi certam scientiam suæ certæ felicitatis accesserint;* hoc in præsentis dicit: *Aut si utrique boni æqualiter creati sunt, isti mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, inde se nunquam casuros certissimi fierent pervenerunt.* Vtroque in loco manifestè significat, post perseverantiam Angelorum eos qui steterant esse magis adiutos, quam qui ceciderant, ita scilicet ut se nunquam amplius casuros esse præscient. Et ne quis illud (magis adiuti) ad illud tempus referret, quo viatores ad beatitudinem tenderent, expressè in libro undecimo hoc excludit, dicendo: *Post illorum ruinam certam scientiam certæ suæ felicitatis accesserint:* quod hic obscurius quidem, idè tamen spectando per alia verba significavit; *Isti mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti.* Denique ut omnis omnino scrupulus tolleretur, in hoc ipso loco, qui nobis opponitur, ad illum libri undecimi locum, quem citavimus, expressis verbis sine medio interjectis sese refert: *Sicut, inquit, iam etiam in libro, quem sequitur iste, tractavimus.* Nec enim in toto illo libro undecimo locus ullus inveniri potest ubi de adiutorio illo majore tractaverit, quàm iste quem citavimus.

CAPVT XIX.

Solvitur locus Scripturæ; & difficultas ex Bulla sanctissimorum Pontificum Pij Quinti, & Gregorij Decimi-tertij mota: ubi ostenditur, non minùs merita status innocentie esse gratiam & dona Dei, quàm merita lapsorum juxta recentiores.

DENIQUE non parvi ponderis ratio in Scripturis fundata opponi potest videtur enim ex ista Augustini doctrina sequi, Angelorum & primi hominis adhuc integri merita non rectè vocari potuisse gratiam. Si enim non sunt libero arbitrio donata per gratiam, quomodo rectè gratiam vocaverimus? quia ipsa merita non sunt gratia. Hoc autem & Scripturis ad- versatur, quæ generaliter profitentur; *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Et: *Gratia Dei vita æterna:* nec non duorum Pontificum Romanorum sanctioni, qui duas illas propositiones profecerunt: *Nec Angeli, nec primi homini adhuc integri merita, rectè vocantur gratia.* Item: *Et bonis Angelis & primo homini, si in stata illo perseverasset usque ad ultimum visa, felicitas esset merces, non gratia.*

Ad ista, divi Augustini principijs inhaerendo, respondemus, non ideo Angelorum & Adami merita non esse gratiam, quia non supremo modo sunt gratia. Quis enim etiam recentiorum dubitaverit, longè majori ratione, jure ac titulo lapsi hominis, quàm stantis merita gratiam nuncupandam esse, & verò esse? An ideo ista quoque non sunt gratia? illa quippe ei, qui ante injustus, inimicus, dånationis reus erat, per admirabilem illam Dei benignitatem data sunt, quã ipse Filius Dei incarnatus, & passus est: quam extollit Apostolus, quando dicit: *Commendat autem charitatem suam, & hoc ipso gratie quoque Salvatoris magnitudinem, Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Et post Apostolum Augustinus: *Gratia Dei non potuit gratis commendari, quam ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabiliter manens indueret hominem, & spem dilectionis sua daret hominibus, homine medio.* Et in alio loco: *Quia peccavit ista natura, cum peccare potuit, largiore gratia liberatur.* Et paulo inferius: *A quo resedit, & gratia maiore perfecti.* Per istã gratiã majorẽ, gratiã largiorẽ, gratiam incarnationis Filij Dei, cõmendatiorem gratiam facientem facere, quia non donabantur merita status innocentie, an ideo gratie donorumque nomine spolianda sunt? Quapropter omnino fatendum est merita status innocentie tam Angelicæ quàm humanæ fuisse gratias, ac dona Dei; sed non illò sublimi ac speciali modo, qui statui fracte libertatis damnata; naturæ proprius, & supra fusiùs explicatus est. Quamvis igitur juxta doctrinã Augustini meri-

tum status illius per liberũ arbitriũ haberetur, & gloria ipsi retributa merces ab Augustino dicitur, quæ nunc est gratia: ipse tamen non paucis locis utrumque etiam tunc gratiam ac Dei donum vocat. Quod sanè quatuor modis verum esse juxta principia cęlestis doctrinæ ipsius, intelligi potest.

Primus & quidem imperfectissimus modus est, quia ipsa tuta natura & liberum arbitrium gratis omninò, sine ullius vel meriti, vel orationis, vel dignitatis consideratione concessa sunt. Arbor quippe tota si omninò gratis data fuit, omnes etiam fructus necesse est esse gratuitos. Unde Augustinus: *Esti quædam non improbandã ratione dicitur gratia Dei, quia creati sumus, ut non nihil essemus & c. sed non omnes, qui & essemus, & viveremus, & sentiremus, & intelligeremus, & de hoc tanto beneficio creatoris nostrò gratias agere debeamus:* Unde merito & ista gratia dici potest, quia non precedenti in aliquo in operum merito, sed gratuita Dei bonitate donata est. Hinc est quod juxta Augustini doctrinam quicquid fit à natura juxta leges, quous per conditorem instituta est, ipsi conditoris gratuite benignitati ac dono tribui debet: *Nec mater mea, inquit, vel nutrices mea sibi ubera implebant, sed tu mihi, Domine, per eas dabas alimentum infantie secundum institutionem tuam, & divitias usque ad fundum rerum dispositas, Tu etiam mihi dabas nolle amplius, quam dabas, & nutriendis me dare mihi velle, quod eis dabas. Dare enim mihi per ordinatam affectum volebant, quo ex te abundabant. Nam bonum erat eis bonum meum ex eis, quod ex eis non, sed per eas erat. Ex te quippe bona omnia, Deus, & ex Deo meo salus mihi universa.* Quæ doctrina usque adeo apud Augustinum fixa est, ut nec opera illa moralia, quæ infideles faciunt, infidelibus, sed soli Deo ascribenda esse testetur: *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui benedicitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus & bona male faciunt.* Quod ipse multo majori ratione docet, quando homines quamvis Ethnici, & à veri Dei cognitione prorsus alieni, à vita improba ad honestiores convertuntur mores, etiam si in sua infidelitate permancant. Hujusmodi quippe morum emendationes præfenti potius vitæ ornandæ, quàm futuræ comparandæ utiles non nisi divino muneri tribuendas putat. Nam de Polemone loquens, quem Xenocrates, de fruge temperantiæ disputando, non solum ebriosum, sed

etiam tunc ebrum ad alios mores repente
 convertit: *Quamquam*, inquit, *ille, sicut pruden-*
ter & veraciter intellexit, non Deo fuerit acqui-
situs, sed tantum a dominatu luxuria liberatus; tamen
ne id ipsum quidem, quod melius in eo factum est, hu-
mano operi tribuerim, sed divino. Rationem quoq;
suae opinionis assignando subnectit: Ipsius nam-
que corporis, quod est infimum nostrum, si qua bona
sunt, sicut forma, & vires, & salus, & siquid eius-
modi est, non sunt nisi ex Deo creatore & perfectore
natura: quanto magis animi bona donare nullus alius
potest. Quid enim superius vel ingratis cogitare po-
test humana recordia, si putaverit, cum carne pul-
chrum faciat Deus, hominem antea castum ab homine
feri. Intellige ab homine solo, Deo per nullum
auxilium adjuvante.

Secundus modus est, quia etiam in illo sta-
 tu Deus suadebat, jubebatque, ut iustitia opus
 fieret, a peccato terrebatur mortis supplicio, ad
 perseverantiam invitabat immortalitatis prae-
 mio: *Sic cum muerians*, inquit Augustinus,
libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terretur exi-
tio; atque in paradisi felicitate tanquam in umbra
vita, unde iustitia custodiatur in meliora conscenderet,
collocavit. Et in libris de Civitate Dei: Vbi
magna est inobedientia poena proposita, & res a crea-
tore facili imperata, quisnam satis explicet, quan-
tum malum sit, non obedire in re facili, & tan-
ta potestatis imperio, & tanto terrenti suppli-
cio?

Tertius est, quia bonam voluntatem, hoc
 est, divino amore succensam hominibus &
 Angelis dedit: simul in eis & condens naturam, &
 largiens gratiam. Ex quo fit, ut Augustinus non
 minus Angelis, quam hominibus charitatem
 & Spiritum sanctum initio creationis infusum
 esse fateatur. *Consistendum est*, inquit, *cum debita*
laude creatoris, non ad soles sanctos homines perti-
nere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quod
charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, qui
datus est eis. Haec ergo voluntas bona, seu cha-
ritas Dei, hoc est, gratia habitualis & opera-
toria divinitus data necessario simul cum li-
bero arbitrio iustum opus operante concurre-
bat, & influebat, sine cuius ope in iustitia ope-
ratione per liberum arbitrium perseverare
non poterat. Hoc autem solum jam etiam post
lapsum hominis multi Scriptorum recentio-
rum sufficere volunt, ut meritum hominis &
merces ejus ad Dei gratiam referantur.

Quartus est (ut nihil de concursu generali
 dicam, quem recentiores concomitantem gra-
 tiam vocant) quia gratiam non solum habi-
 tualem, sed etiam actualem, & supernatura-
 lis ordinis adiutorium ad operandam iustitia
 dedit: sine qua non solum non perseverare,
 sed nec ullum opus bonum facere, aut velle,
 aut confidere de ipso adiutorio Dei poterat.
 Haec autem gratia non solum exterius, sed in-
 tus in iplo animo regebat liberum arbitrium,
 custodiebat, adjuvabat, illustrabat ut vide-
 ret, accendebat ut amaret: ut supra fuse ex
 Augustino demonstravimus. Cum igitur tot
 modis Adami merita premiumque merito-
 rum eius divinae bonitati & gratiae ascribenda

veniant, perspicuum est, neque Scripturamil-
 lum: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia;*
neque illas sanctissimorum Pontificum san-
ctiones Augustini doctrinae esse contrarias.
Vnde plerisque modis jam recensitos simul
tangens, ubi potissimum de primo homine &
creationis exordio disputabat: Deus, inquit,
nulli debet aliquid, quia omnia gratuito praestat. Et si
quisquam dicet, ab illo aliquid deberi meritis suis, cer-
te ut esset, non ei debebatur: non enim erat, cui da-
bebatur. Ecce primus gratuiti doni modus.
Omnia ergo illi debent, primo quicquid sunt, in quan-
tum natura sunt; deinde quicquid melius possunt esse,
si velint, quaecumque acceperunt, ut velint; aut quid-
quid oportet eas esse. Ecce & primus, & reliqui
breviter insinuat. Nam illud (creaturas aliquid
melius posse si velint) meritum earum respicit,
quod ipse sine multiplicis gratiae adiutorio nul-
lo modo esse posse definit: cuius intuitu mox
dicat: Creaturam debere Deo, ut scilicet recte vi-
vat, si a cepit, & liberam voluntatem, & sufficientis-
simam potentiam: nempe per eam quam expli-
cimus gratiam. Nam creatura ad bonum nihil
est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.

Hinc est igitur, quod magna cum fiducia
 Augustinus, omnia non solum merita, sed
 etiam premia meritorum divinae gratiae in illo
 statu primae tam humanae quam Angelicae fe-
 licitatis ascribit. Nam de bono usu liberi ar-
 bitrii, qui non est aliud quam meritum ejus,
 ita loquitur, quando cum Manichaeis de ori-
 gine boni & mali disputabat: *Memnisse te oportet,*
non solum magna, sed etiam minima bona non
esse posse nisi ab illo, a quo sunt omnia bona, hoc est,
Deo. Et paulo inferius, cum ostendisset virtutes
quibus bene vivitur, esse illa magna bona, quibus
nemo male utitur, quia opus virtutis est
bonus usus aliorum bonorum, quibus etiam
non bene uti possumus, sic subiungit: Quare
abundantia & magnitudo bonitatis Dei non solum
magna, sed etiam media, & minima bona esse pra-
estant. Magis laudanda est bonitas eius in magna,
quam in medijs, & magis in medijs, quam in minimis
bonis, sed magis in omnibus, quam si non omnia tri-
bueret. Et ne quis existimaret, virtutes tan-
tummodo Augustinum tribuisse Deo respectu
hominis, cum primum conditus est, & non et-
iam actiones ejus; ipsemet Augustinus decla-
rat, se virtutis nomine, virtutis usum, seu actu
intelligere: bonus usus eius, (liberi arbitrii)
iam virtus est, quae in magnis reperitur bonis, quibus
male uti nullus potest. Et quia omnia bona, sicut
d'ictum est, & magna, & media, & minima ex
Deo sunt, sequitur ut ex Deo sit etiam bonus
usus liberae voluntatis, quae virtus est, & in ma-
gnis numeratur bonis. Et universam disputa-
tionem concludens de prima origine boni &
mali, quod in creaturis exortum est: Tu rautum,
inquit, pietatem inconstantem tene, ut nullum tibi bo-
num vel sentiens, vel intelligenti, vel quoquo modo co-
gitanti occurrat, quod non sit ex Deo. Haec autem
omnia ipsemet August. ad commendanda Dei
gratiam ad actus bonos, contra Manichaeos de
prima origine boni & mali errantes, se dixisse
testatur.

Mercedem

In Enchir. t. 25.

Lib. 14. c. 15.

Lib. 12. de Civit. c. 9.

Ibid.

C

D

177

Lib. 22. de Civ. Do. 1. 30.

Dist. 1. in Psal. 70.

Mercedem verò status innocentie non minus manifestè divinæ gratiæ tribuit. Merces enim illa non est alia, quam ardentissimus amor claræ Dei contemplatione perfectus; per quem fit, ut statissimè divino adhærens bono iam amplius peccare non possit. Hoc autem non allcribit Augustinus nisi dono Dei, quicquid tandem præcesserit meritum: *servandi gradus erant divinis numeris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo; novissimum, quo peccare non posset; atque illud ad comparandum meritum; hoc ad recipiendum præmium pertinet.* Ecce & præmium liberi arbitrii primum dati divinum munus appellat. Sed manifestius adhuc haud ita multo superius: *verum hoc quoque (scilicet in beatitudine peccare non posse) Dei munere, non sua possibilitate natura. Aliud est enim esse Deum, aliud participem Dei. Deus natura peccare non potest; participes vero Dei ab illo accipiunt, ut peccare non possint.*

In meritis verò simul & præmijs Angelorum non minus luculentè Dei gratiam extollit, & eos omnia divinæ benignitatis dono debere profiteretur. *In altis cali sunt, in altis Angelis sunt &c. tibi debent quod sunt, tibi debent quod vivunt, tibi debent quod in se vivunt, tibi debent quod beate vivunt. potentiam tuam & institutionem tuam usquequo? Usque in altissima, que cælesti magnalia. Ne putes hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid est Angelus antequam fieret? Quid est Angelus, si deserat qui creavit? His & similibus sententijs divinâ veritate fulgentibus castitas doctrinæ, quam sanctus ille Doctor de meritis & præmijs hominum & Angelorum innocentium tradidit, satis elucet; nec ea sic illum soli creaturæ libertate tribuisse, ut Dei gratiam excluderet. Quæ si recentiorum palato satis fuerint, ut omnem sinistram suspensionem de ejus mente, deponant; vehementer scire cuperem, quid ipsi, qui tantopere Dei gratiam crepant, liberalius, sublimius, gloriosius, de Dei gratia prædicent, non dico in operandis meritis hominum & Angelorum innocentium, sed etiam peccatorum: quorum & vires fractæ sunt, & sub miseris cupiditatum omnium ipsiusque diaboli servitute captivæ? An forte, idcirco lapsorum hominum merita esse Deo tribuenda, quia ipse naturam, & liberum arbitrium lapsis & sub concupiscentia laborantibus dedit? non diffidetur hoc etiam de stantibus Augustinus. An quia gratiam habitalem, & charitatem insudit? aperitissimè proficitur Augustinus. An forte, quod illa sanctificationis gratia simul in opus insuit, & ita Deus cooperatur operantibus? Ambabus ulnis amplectitur hoc de Adamo & Angelis Augustinus. An quia etiam actuale adiutorium supernaturalis ordinis præbet, sine quo nihil ad vitam æternam adipiscendam arbitrium liberum lapsorum operari potest? idem de status innocentie meritis docet, repetit, inculcat Augustinus. An quia sic præbet adiutorium, ut illa lapsi status merita sint munus Dei, & merces eorum etiam gratia vocari queat? Idem iterum iterumque*

A clamat Augustinus. An quia non solum insuit gratia cum libertatis arbitrio, sed sic insuit, ut faciat ipsum facere, ita videlicet, ut illud ad opus inchoandum hic & nunc determinet; & ita merita eorum sint *speculata dona Dei?* Negat hoc Molina, negat Lessius, negat Vasquez, negat Suarez, & alij non pauci de infirmissimo voluntatis arbitrio, etiam in præsentis ruinæ statu: ut non sit mirum, si hoc negat & Augustinus de fortissimo arbitrio innocentium. Non indignentur, obsecro, si ante lapsum hoc gratiæ Augustinus neget, quod post lapsum recentiores diffidentur. Nam quicquid tandem dixerint de divinæ gratiæ officijs, quod illuminet, suadeat, alliciat, blandiatur, ut arbitrium operetur; Augustinus & cum iplo veritas respondet, non posse eos apertius hoc ipsum dicendo profiteri, quod non gratia talis libero arbitrio, sed liberum arbitrium gratiæ dominatur; quod non gratia faciat, ut liberum arbitrium secum, sed arbitrium potius, ut secum gratia operetur. Quid est enim allicere, blandiri, suadere, quam quodammodo pulsare atque rogare, ut libertas illa suæ potentis ac juris dominatrix omnium & habituum & gratiarum titillantium, (quod ipsi non differunt, sed ex professo docent) dignetur in sum actum surgere, & ea cuncta ad actualem influxum in opus determinando efficere, ut ne pulsus ille suadentis, allicientis, blandientis gratiæ maneat otiosus? Si hoc est, quod tibi voluit in statu perditæ justitiæ per magnificas gratiæ divinæ laudes, & per illam deprecatam arbitrii libertatem, quam omnino ad *suar. prolog. 1. c. 2.* *minuatam sui actus vocat, ut scilicet possit omnibus, live gratis, live alijs adiutorijs, ad agendum præcursus, possit agere & non agere, cedere & sustinere actum, sola sua potestate, & non ex defectu alienius conditionis necessarii: hoc & non aliud de liberi arbitrii viribus primi hominis & Angelorum profiteretur Augustinus: ita videlicet fuisse dominum sui, suæque juris & potentis, ut quicquid sive habituali inchoatitas, sive actualis illuminationis & succursio operaretur intrinsecus velut ad agendum prærequiritum, hoc ipsum ita liberum libertatis viribus remaneret, ut non voluntatis nutum ad operandum raperet, sed patienter expectaret; frustra quidem, si arbitrium nollet, non frustra si vellet: ita nempe, ut positis omnibus illis velut ad agendum præquisitis, ipsum arbitrium suapte potestate posset agere & non agere, cedere vel sustinere actum suum, & in utramlibet sese partem flectere. Siquidem hoc est, sicuti est, quod de fractis hominis viribus philosophantur Recentiores: hoc & non amplius, sed potius minus decernit de integerrimis viribus Augustinus. Quanto igitur superbius illi naturam & liberum arbitrium tuentur, qui quod Augustinus naturæ stanti & integerrimæ, hoc illi lapsæ, vulneratæ, agrotatæ, damnatæ tribuunt. Quanto castius & sublimius ille gratiam prædicat, qui quod alij præstanti & salvanti*

MARTINUS
JENNA



gratiae respectu fractae libertatis ascribunt, hoc ipse civili ac togatae gratiae, respectu libertatis integerrimae, quae nullo interno hoste turbata sua secum pace fruebatur.

Ex ijs patet, quam immerito isti sententiae Divi Augustini, quae merita praedicat liberi arbitrii, per quod sanctos Angelos (quamvis non sine gratia) in veritate stetit, & Adamum stare potuisse profiteretur, violatae gratiae crimen inferatur: cum nihil aliud de sanis & fortissimis eorum viribus doceat, quam quod Recentiores de aegerrimis, & infirmis, & vinculo servitutis abstractis mundo obtrudunt. Vna dumtaxat inter utrosque differentia est, quod August. res notas notis verbis appellat: illi nova quarunt nomina, quibus idem dicant, nec tamen idem dicere videantur. Cum enim ex illa excellenter dominativa sui actus potestate, qua quibuscumque tandem gratijs sive habitualibus sive actualibus afficiatur arbitrium; ad agendum vel suspendendum actum suum indifferens manet, & sese in quamcumque liberitatem potest flexere, ut nutum suum atque concursum gratiae adjuvantis dictatori quaedam auctoritate concedat aut neget, nexu insolubili videret sequi Augustinus, non gratiam, sed ipsum arbitrium primam afferre differentiam, ut vel cum gratia concurrente agat, vel ea neglecta atque otiante non agat; rem apertam apertis quoque verbis explicuit, palamque professus est, huiusmodi gratiae adjuvantis esse tantummodo, sine quo non fit actio, ipsum autem arbitrium esse id, quo fit, eo modo quo supra explicuimus. Cujus perspicuae veritatis inviolabilem connexionem sequens, ulterius sine ullo verborum furo palam docet, si cum tali gratiae adjuvantis Angeli in veritate steterint, eos per liberum arbitrium non tamen sine gratia, in veritate stetit; sicut per liberum alij ex veritate ceciderunt: talemque per mansionem non sine gratia obtentam non esse specialem gratiae adjuvantis donum, sed liberi arbitrii (gratia licet adjuvantis) meritum; & gloriam ei debitam justam esse mercedem. Non enim talis gratia facit liberam voluntatem velle vel facere, nec actum ipsum voluntati donat; sed tantummodo, si ex propriae libertatis nutu (non sine gratia) velit aut faciat, cum possit nolle nec facere; volentem & facientem juvat: ut ita quidem volitio & actio sit generale & magnum gratiae adjuvantis & simul influentis beneficium; non tamen specialem gratiae largientis, & actum conferentis donum. Haec omnia sicut manifesta veritas altissimis vocibus clamat; ita & Augustinus veraci simplicitate profertur. Recentiores vero cum idem omnino, quantum ad gratiam, de illo adjuvantis & concurrenti modo; & quantum ad liberum arbitrium, de illa perpetua indomitaeque libertatis lapsae indifferencia, atque eminenter dominativa super omnes suasiones ac titillationes potestate, prolixis disputationibus expresso tradant; ne tamen Pelagianorum imi-

ratione lesas per lapsum vires voluntatis superbius extollere, & Salvatoris nostri medicinam profus tollere videantur, quasi res abditissimas traderent, ita disputandi subtilitate, vel clamandi importunitate obtinere volunt, non esse illam eminenter dominativam sui actus potestatem (ut ipsum vocibus utar) sed Dei adjuvantis quod gratia pulsante & arbitrio de consensu deliberante facit laedere. hoc est, quod facit primam non agendi agendique sub gratia differentiam, ubi si alium adversarium nacti de destructa per talem gratiam versatili illa libertate voluntatis arguantur, statim versa velificatione reclamant quasi sui profus oblitum, liberum arbitrium esse, quod cum gratia operator aut cessat; quod sese hic & nunc in alterutram partem flexit ac determinat, quod prout visum fuerit sub gratia fiat aut cadit. Quae dum dicunt, quicquid gratiae suae tanquam quae velle operetur & facere, vili fuerant attribuerent, direxerunt interimunt, & funditus evertunt. Sed quicquid ipsi tandem vel sentire vel dicere videri velint, de quo alibi accuratius dicendum est, praesenti instituto satis est, non aliud Augustinum, Prosperum, Fulgentium, ipsumque Concilium Arausicum voluisse, quando tantopere primae libertatis vires & indifferenciam praedicant, ut per eas Adam bene velle posset & male, in veritate stare vel cadere; utque merita sibi posset & gloriae mercedem parere, quae nunc per gratiae donum dari debent; quam quod liberum arbitrium primi hominis & Angelorum ita forte, ac liberum, & indifferens fuit, ut gratia habituali praeditum, & gratia actuali divinae illustrationis, & accensionis adjuvantis, (sine qua non poterat in veritate stare, nec inimicum vincere, nec vel ipsi Deo fidere, nec quicquam boni facere, aut velle) posset ipsum sese ad bene agendum sub illa actuali gratia simul influente flexere & non flexere, determinare & suspendere, illo adjuvantis perseverare & non perseverare, cum illo stare vel cadere. Idque non alia de causa, nisi quia Deus ita libertati primae gratiam suam contemperaverat, ut non eriperet ei liberrimum nutum & flexum suum; sed sicuti tanta bonitatis & bene vivendi facilitati perseverandi committebatur arbitrium; ita etiam ipsum a perseverare vel non perseverare, imò & ipsam gratiam in eius libero arbitrio relinqueret. Hoc si Recentiores perique etiam ipsimet de gratia & libero nunc sentire se sentiunt, & velint, nolint, sentire convincuntur, quando jam vires hominis originalis culpa prostravit; desinant Augustino violatae per illam doctrinam gratiae crimen impingere: nec aegre ferant si se Augustinus longe castris de divina gratia; illos longe superbius de humana natura sentire, gloriatur: dum, quod ipsi de arbitrii potestate cum gratiae adjuvantis post lapsum sentiunt, id se de primae dumtaxat libertatis integritate sensisse profertur.

CAPVT XX.

Declaratur adiutorium status innocentiae non fuisse praedeterminationem physicam: nec merita per eam Adamo & Angelis esse donata.

ET quia contraria juxta se collocata multo luculentius mutua se luce declarant, hoc ipsum ex altero illo praedeterminationis physicae extremo uberrime constare potest. Nam quamvis methodus postulare videretur, ut ista quaestio superius, quando conditiones adiutorij divini tractabamus, expediretur: in hunc tamen locum differre malui, ut rebus sese paulatim aperientibus, ex principijs ante jactis quaestio quodammodo se ipsa solveret, qua quæri posset, utrum ergo adiutorium Dei Adamo datum, fuerit praedeterminatio quadam physica, quam multo recentiores ad omnes omnino actus bonos necessariam statuunt. Nam si principia Augustini jam superius tacta consulamus, ex omnibus manifestissime conficitur, gratiam illam actualis adiutorij nullo modo in praedeterminatione illa physica sitam fuisse: sed potius hujusmodi praedeterminationem principia ejus universa subvertete.

Nam primo, praedeterminatio illa prorsus destruit totam illam differentiam gratiae Adamo, & Christi seu adiutorij sine quo non. & adiutorij quo fit opus: quam tamen Augustinus firmissime, ut supra vidimus, stabilivit & velut immobilem basim totius doctrinae suae posuit. Patet hoc ex eo, quod praedeterminatio illius naturae sit, ut hoc ipso quo ponitur, ponatur actio, illa non posita nunquam fiat. Illa enim est ipsissima descriptio adiutorij quo; nullo autem modo adiutorij sine quo non, quod Adamo datum fuit.

Secundo, quia praedeterminatio physica facit, ut liberum arbitrium non solum velle & operari possit, sed etiam ut semper actu velit, & operetur, prout auctores ejus ex professo docent. Tale autem adiutorium stanti homini aut Angelo datum non fuit; sed lapsis posteris reservatum: *Primo homini*, inquit Augustinus, *datum est adiutorium perseverantiae, non quo fieret ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset.* Et inferius: *Habens virtutem liberi arbitrij, quamvis non de futuro adiutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet: non tamen tali quo in illo Deus operaretur, ut vellet.* Quam doctrinam creberrime in illo libro repetit, & nos supra satis superque inculcavimus.

Tertio, quia praedeterminatio physica talis naturae est, ut non relinquatur in libertate voluntatis eam amplecti vel non amplecti, sed semper invictè facit, ut eam voluntas amplectendo consentiat. Tale autem non fuit adiutorium Adæ aut Angelorum, utpote quod

in libero eorum arbitrio relictum fuit: Nec ipsi ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio.

Quarto, quia praedeterminatio physica nunquam deseritur à voluntate, sed ipsa potius facit, ne à voluntate deseratur. Adiutorium autem Adamo nullo modo istius conditionis fuit: *Quod adiutorium, si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonum: sed deseruit, & desertus est.* Et exactius declarans naturam ejus: *Tale quippe erat adiutorium, quod desereret, si vellet, & in quo permaneret, si vellet: non quo seret, ut vellet.* Et paulo inferius non minus luculente: *Sic adjuvabatur, ut sine hoc adiutorio in bono non maneret; sed hoc adiutorium, si vellet, desereret.*

Quinto, quia gratia praedeterminationis physicae si non detur homini, non ideo à culpa excusatur: alioquin enim peccatores omnes, qui justitiam deseruit & physica praedeterminatione ad perseverandum, & iuste vivendum carent, sine culpa caderent. Adiutorium verò Adamo & Angelorum hujusmodi fuit, ut nisi eis datum fuisset, sine culpa cecidissent: *Si autem adiutorium hoc vel Angelo, vel homini, cum primam facti sunt, desuisset, non utique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippe desuisset, sine quo manere non possent.*

Sexto, quia praedeterminatio illa physica destruit prorsus magnam illam libertatem, & bene vivendi potestatem, quam Augustinus, Pontifices, & Concilia nos in Adamo amisisse testantur, ut etiam fuse declaravimus supra. Nam illa libertas in eo sita erat, quod homo per liberum arbitrium sicut malè vivere poterat, ita etiam bonè: sic videlicet, ut non esset necesse voluntatem illam bonè vivendi per gratiam preparari, sicut nunc post lapsum est necessarium, quando Deus per gratiam in homine operari debet, ut velit, & faciat. Quod si etiam tunc debebat per physicam istam praedeterminationem fieri, utpote ejus iste proprius effectus est, quemadmodum auctores ejus tradunt, jam funditus illa doctrina Augustini, & Conciliorum labefactata corruet.

Septimo, quia praedeterminatio illa physica libero arbitrio merita, & eorum mercedem invictè donat. Hoc autem adiutorium Adamo & Angelorum nullo modo faciebat; ut etiam supra ex Augustino comprobavimus. Quae doctrina etiam solidissime fundata, per istius physicae praedeterminationis necessitatem in statu primæ illius integritatis evertitur. Ex quibus omnibus, aliisque argumentis, quae adduci possent, perspicue ostenditur, nihil capitalius principijs Augustini, nihil quod eius doctrinae

doctrinæ magis ex diametro repugnet, effingi posse, quàm quod Adami adiutorium in physica illa prædeterminatione situm fuerit: ut sanè non temerè dici posse videatur, quòd auctores, qui prædeterminationem illam physicam ad statum etiam integrum Adami & Angelorum extendunt toto ostio ab Augustini principijs aberraverint. Quapropter si istud innocentie adiutorium nullo pacto liberum arbitrium ad agendum physicè prædeterminavit, nec donavit, ut *myristicè quod bonum est velle, & hoc deservere invicissimè nollet; sed in ipso arbitrio relictu fuit, ut in eo permaneret si vellet, & si vellet deserveret; utpote quod ita voluntatem afficiebat, ut manens liberum bene velle posset, & malè: & hoc rebus ipsis declaratum fuit, dum*

L. de corr. Angeli sancti tali adiutorio aduti, cadentibus & grat. c. 11 alijs per liberum arbitrium, & illud adiutorium re ipsa deserentibus, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi; sicut hæc omnia perspicuis verbis Augustinus identidem proficitur: nimis profectò contentionis fuerit, adhuc nodos in scirpo velle quærere, & præfractè negare velle, quòd aliud quippiam August. de modo concurrenti gratiæ cum integra innocentium libertate senserit, quàm plerique Recentiores de concur-

A su ejus cum vulnerata natura se docere gloriantur. Ex quo & illi reselluntur, qui se primos hujusmodi concursus inventores vel certè expositores esse putant: cum tot seculis antè sanctus Augustinus illum agnoverit, protulerit, docuerit, & iterum iterumque inculcaverit, tantaque manifestationis luce declaraverit, ut præter nonnullas Aristotelicæ Philosophiæ tricas, aut ineptias è classibus Dialecticis in Theologiam immittas, quibus cœlettis medicinæ sinceritas magis adulterata est, nihil omninò novi protulerint, quod non Augustinus antè viderit, & solita sua in Theologicis rebus gravitate vel breviter indicaverit, vel contemnendo præterierit. Quod ex ijs, quæ de Angelorum & hominum in statu innocentie prædestinatione, & electione, & de lapsorum hominum adiutorijs dicturum sumus, longè plenius innotescet. Nunc tempus est ut aliquid de illa ineffabili ruina, seu peccato primi hominis, & de illius in posteros translatione dicamus: quo magnæ illæ liberæ voluntatis vires perierunt, ita ut novâ benignissimi Salvatoris medicinâ opus fuerit, qua liberum arbitrium sanaretur & roboraretur, ut posset bonum velle, & operari.

F I N I S.



D E